

CIAE
INAE
RUM
LAE
ENSIS

VINDICIAE
DOCTRINAE
MAJORUM
SCHOLAE
PARISIENSIS

2
3
83














VINDICIÆ DOCTRINÆ MAJORUM SCHOLÆ PARISIENSIS,

Seu

Conſtans & perpetua Scholæ Pariſienſis Doctrina de Authoritate & infallibilitate Eccleſiæ in rebus Fidei & Morum.

Contra

Defenſores Monarchiæ univerſalis & abſolutæ Curiæ Romanæ.


Authore EDMUNDO RICHERIO Doctore ac Socio Sorbonico.

Acceſſerunt Notæ in Cenſuram Hungaricam quatuor Propoſitionum Cleri Gallicani.

Acceſſit etiam Summa eorum quæ acta ſunt Pariſiis in Diſputationibus Capituli Generalis Dominicanorum, die 26. Maii. 1611.

Quod invenerunt in Eccleſiâ, tenuerunt; Quod didicerunt docuerunt; Quod à Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt. S. Aug. lib. 2. contra Julianum cap. 10.





COLONIÆ,
Apud BALTHASARUM AB EGMOND & Socios. cIↃ IↃ C LXXXIII.

INTERROGA MAJORES TUOS,
ET DICENT TIBI.

Deuteron. 32. v. 7.

EDMUNDUS RICHERIUS
Doctor Parisiensis,

Lectori studioso veritatis justi Regiminis Ecclesiæ, Salutem & felicitatem æternam precatur.

LECTOR BENEVOLE,



Uando tanta est hujus seculi, ad nova quæque prurientis iniquitas, ut nemini fas sit de antiquis moribus & Institutis hiscere: Idque adeo, ut Capitali etiam crimini Richerio datum sit, quod antiquam Scholæ Parisiensis Doctrinam tum redivivam excitasset, cum id omnium maxime pro asserenda Veritate, & Christianæ Reipublicæ bono erat necessarium. Dehinc vero Cardinalis Perronius eidem in Conventu trium Ordinum Regni Galliarum anno 1615. grandi vitio dederit, quod Joannis Gersonii Doctoris christianissimi opera, de integro novis typis excudi procurasset anno 1606. Et demum post innumeras strophas, cavillationes, & vexationes in caput Richerii confertas, cum publica testificatione Libellum suum de Ecclesiastica & Politica Potestate, Ecclesiæ Catholicæ Apostolicæ & Romanæ Judicio subjecisset; ac se nullo unquam alio animo, proposito, consilio, aut cujus-

 quam

quam hortatu vel ſuaſione animum ad ſcribendum appuliſſe declaraſſet; quam ut demonſtraret quænam eſſent Principia Doctrinæ Majorum Scholæ Pariſienſis. Equidem Curiæ Romanæ Principes hanc clauſulam Declarationis editæ à Richerio, haud aliter quam ſchiſmaticam aut hæreticam, ſi Deo placet, repudiarunt. Ex quo intellexi Curiam Romanam, ut ſuum abſolutum dominatum altius in hominum animos defigat, conſtituiſſe omnem Doctrinæ Majorum Scholæ Sorbonicæ memoriam ex hominum animis obliterare: Ita ut deinceps nemo audeat de Juſto Eccleſiæ regimine & independenti Auctoritate Poteſtatum ſeculi verba facere: quin continuo tanquam hæreticus aut ſchiſmaticus vapulet. Quæ cum apud me attentius reputarem, memor hujus Divinæ vocis, *Audi fili mi diſciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ, ut addatur gratia capiti tuo & torques collo tuo*, cap. 1. Proverb. Et cap. 4. *Tene diſciplinam ne dimittas eam, cuſtodi illam quia ipſa eſt vita tua.* Et cap. 22. *Ne transgrediaris terminos antiquos quos poſuerunt patres tui.* Item Eccleſiaſtis 10. *Qui diſſipat ſæpem mordebit eum coluber.* Et Galatarum 5. *Vos in libertatem vocati eſtis fratres; tantum ne libertatem in occaſionem detis carnis, ſed per charitatem ſpiritus ſervite invicem.* Et primæ Petri cap. 2. *Quaſi liberi, & non quaſi*

vela-

velamen habentes malitiæ, libertatem; ſed ſicut ſervi Dei.

Hæc, inquam, attentius apud me reputans, poſt varias lucubrationes pro defenſione Libelli de Eccleſiaſtica & Politica Poteſtate à me conſcriptas, tandem induxi animum ea omnia in unum volumen colligere & compingere quæ partim à Schola Pariſienſi, partim à nonnullis ſingularibus Doctoribus ejuſdem Scholæ ſcripta ſunt, pro Vindiciis Juſti Regiminis Chriſtianæ Reipublicæ, & regendis finibus utriusque Poteſtatis: quo in poſterum nullus in dubium revocare poſſit, quænam eſſet Doctrina Majorum Scholæ Pariſienſis.

Has autem Vindicias in Quatuor Libros diſtribuemus: quorum Primus aliquot Decreta Facultatis Theologiæ Pariſienſis complectetur: & reliqui Tres Libri poterunt eſſe inſtar Commentarii in illa Decreta, ut cognoſcatur quænam ſit avita Scholæ Sorbonicæ Doctrina de utraque Poteſtate. Secundus Liber continebit aliquot opuſcula Doctorum Sorbonicorum, qui pro Philippo Pulchro Rege Franciæ, adverſus uſurpationes Bonifacii VIII. lucubrarunt; in quorum fronte Ægidium Romanum Bituricenſem Archiepiſcopum, & Philippi Pulchri Præceptorem edidimus: deinde doctiſſimus Tractatus de Poteſtate Regia & Papali ſuccedit, cujus auctor eſt Joannes Surdi, cognomento de

de Parisiis Ordinis Dominicanorum: Et hunc Librum finient duo Doctores Anonymi, qui eodem tempore pro Rege Franciæ scripserunt. Tertius Liber ea exhibebit quæ Cardinalis Alliacenus & Joannes Gersonius emiserunt in lucem, tempore primi Concilii Pisani & Synodi Constantiensis. Quartus demum continet quæ Jacobus Almainus & Joannes Major pro Ludovico XII. adversus absoluta Imperia Julii II. & Cajetani scriptiones ediderunt.



VINDICIÆ DOCTRINÆ MAJORUM SCHOLÆ PARISIENSIS

Pro regendis finibus utriusque Potestatis.

LIBER PRIMUS

DECRETA SCHOLÆ PARISIENSIS CONTINENS.

VINDICIÆ DOCTRINÆ MAJORUM SCHOLÆ PARISIENSIS

Pro regendis finibus utriusque Poteſtatis.

LIBER PRIMUS

DECRETA SCHOLÆ PARISIENSIS CONTINENS.



N nomine Domini, Amen. Univerſis præſens publicum Inſtrumentum inſpecturis, pateat evidenter: Ex anno ejuſdem Domini milleſimo quadringenteſimo octavo more Gallicano, indictione ſecunda, menſis Januarii die ſecunda, ab electione Petri de Luna ultimo in Papam electi, qui dudùm Benedictus tertius decimus nuncupatur, anno decimo quinto, in Congregatione venerabilium & circumſpectorum Virorum, Dominorum & Magiſtrorum Sacræ Facultatis Theologiæ ſtudii Pariſienſis, in Aula Collegii Theologorum de Navarra multùm ſolemniter congregatorum, & more ſolito dictæ Facultatis Theologicæ congregationem ibidem celebrantium, de mandato Reverendi Patris Domini Cancellarii Pariſienſis, tam Regentium quàm non Regentium, & Religioſorum, ac Secularium ad infraſcripta ibidem vocatorum; ſpecialiter propter hoc perſonaliter conſtitutus præfatus Dominus Cancellarius Pariſienſis, dicens & proponens quod Frater Joannes de Gorello Or-

dinis Fratrum Minorum, Licentiatus in Theologia, poſt Veſperias ſuas fuerat delatus apud ipſum, & Conſequenter apud dictam Facultatem Theologiæ, tanquàm dixiſſet ea quæ ſequuntur, ſicut etiam ſcripta ſua exhibita de propria manu ſonare videbantur, formam quæ ſequitur continentia.

I. Quod Sacramentum pœnitentiæ nihil agit in habente gratiam virtute Sacramenti: fundatur, quia Sacramentum pœnitentiæ non reſpicit principaliter niſi expulſionem culpæ.

II. Quod debitè confeſſus non poſſit obligari ut iterum confiteatur eadem peccata, & hoc ex radice præcedentis dicti.

III. Curatis non competit (ut tales ſunt) prædicare, confeſſare, extremam unctionem dare, ſepulturas dare, decimas recipere: fundatur in hoc, quod Curati non ſint de inſtitutione Chriſti & Eccleſiæ primaria, ſed per Dionyſium Papam fuerunt ordinati. Item: quia ſtat, Curatos eſſe qui non erunt ſacerdotes. Item: quia locus parrochialis non eſt ille quem elegit Dominus, & cæteri, ſecundum figuram antiquæ legis, alioquin deberet illic comedi, & cætera.

IV. Fratribus competit principaliùs vel eſſentialiùs prædicare, & Confeſſiones audire quàm Curatis: fundatur, quia Fratribus competit ex Regula, & hoc eſt principaliùs, vel eſſentialiùs quam ex ſtatuto Dionyſii. Item: quia ſtat, quod non ſint ſacerdotes. Item: quia hæc auctoritas, *agnoſce vultum pecoris tui*, non intelligitur de Confeſſione.

V. Curatis habentibus ſufficienter aliundè, non licet recipere Decimas ad uſum proprium, imò ſacrilegium committerent.

Quæ Propoſitiones ſeu dicta, pluries per Deputatos ejuſdem Facultatis diligenter examinata, judicabantur eſſe reparanda, præſertim cum Dominus Rector & multi de Univerſitate talem reparationem requiſiiſſent in præſentia dictæ Facultatis.

Tandem præfatus Dominus Cancellarius ex matura, diligenti, ac concordi deliberatione Magiſtrorum dictæ Facultatis, tam Regentium quàm non Regentium, & tam Secularium quàm Religioſorum præhabita, CONCLUSIT, quod prædictus Frater Joannes de Gorello Ordinis Fratrum Minorum, qui tunc & aliàs auditus fuit ad longum, & cujus intentio ſcita fuerat, qui etiam ſubmiſerat ſe dictæ Facultati Theologiæ, diceret in die Aulæ ſuæ ante receptionem bireti, ſub hac forma. Ex Veſperiis meis, quidam fuerunt ſcandalizati, ſicut mihi ſignificatum eſt per matrem meam Facultatem Theologiæ, tanquam

quam intellexerint quod voluerim inter alia detrahere statui Dominorum Curatorum, & quorundam aliorum Ecclesiasticorum; propterea volens, quantum in me est, tollere omne scandalum, & esse filius obedientiæ, & pacis, & assertor veritatis, DICO nunc ex ordinatione ejusdem matris meæ, & ultronea voluntate, veritates quæ sequuntur.

I. Domini Curati sunt in Ecclesia minores Prælati, & HIERARCHÆ, ex primaria institutione Christi, quibus competit ex statu jus prædicandi, jus confessiones audiendi, jus Sacramenta Ecclesiastica secundum exigentiam sui status parrochianorum ministrandi, jus sepulturas dandi, jus insuper decimas, & alia jura parochialia recipiendi.

Item, quod jus prædicandi & jus confessandi competunt Prælatis & Curatis principaliter, & essentialiter; & Mendicantibus de per accidens, ex privilegio, quoniam sunt introducti, vel admissi ex commissione & beneplacito Dominorum Prælatorum.

III. Item, quod eadem peccata possunt licitè & meritoriè pluries confiteri in multis casibus, & quod virtute sancti Sacramenti poterit eis prodesse quælibet talis reiterata confessio.

IV. Quod ista auctoritas, *agnosce vultum pecoris tui*, bene & aptè intelligitur de cognitione in foro pœnitentiæ.

V. Quod locus parrochialis est congruus & ordinarius ut Sacramenta Ecclesiastica recipiantur in eo.

VI. Dum posui quod Curatis habentibus sufficienter unde viverent aliundè quam de decimis, non licet recipere decimas ad usum proprium, imò sacrilegium committerent; nolui per hoc dare occasionem Laicis vel aliis quominus decimas solverent: sed volui condemnari abusus, & non juri Dominorum Curatorum detrahere super receptione & usu licito decimarum: sicut arbitror sanctos Doctores quos allegavi, intelligere voluisse. DENIQUE si aliqua protulerim vel scripserim quæ videantur prædictis contraria, vel quæ aliter accepta sint, nolo in iis stare, sed volo & supplico haberi pro non dictis vel scriptis, & alia quæcunque quæ viderentur præbere occasionem scandali vel erroris. De & super qua conclusione, per dictum Dominum Cancellarium facta, & per dictum Fratrem Joannem de Gorello Licentiatum acceptata, idem Dominus Cancellarius petiit à me Notario publico subscripto sibi fieri & confici publicum Instrumentum, unum, aut plura: præsentibus ad hæc venerabilibus & circumspectis viris Dominis & Magistris Petro Ubart, Gauffrido Lata-

che, Guillelmo de Beuilla, Joanne d'Acheri, Joanne Mathee, Mathæo Roedes, Jordano Morin, & Ioanne de Vamesnillo, nec non venerabilibus & religiosis Viris Dominis & Magistris Armelfo de Fonte Ordinis Fratrum Minorum, Richardo Generali ejusdem Ordinis Fratrum Minorum, ac Guillelmo de Sanctis Ordinis Fratrum Heremitarum Sancti Augustini, & Iacobo de Liffodio ejusdem Ordinis, omnibus Sacræ Theologiæ Professoribus Testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis. ET EGO Ioannes Mancyon Parisiensis publicus, auctoritate Apostolica, Notarius, principalisque Bidellus Facultatis Theologiæ studii Parisiensis: Quia præmissæ Conclusioni, sic per Reverendum Patrem Dominum Cancellarium Parisiensem factæ, ac omnibus aliis & singulis, dum, ut suprà scribuntur, agerentur & fierent, unà cum prænominatis Testibus præsens interfui, eaque sic fieri, vidi & audivi. IDCIRCO huic præsenti publico Instrumento manu mea scripto, signum meum solitum apposui in testimonium veritatis præmissorum requisitus.

HUjus autem Censuræ Facultatis, Gersonius lib. de Potestate Ecclesiastica consideratione XII. sub finem meminit, ubi docet *Curatos esse Hierarchas, atque vocem definitivam in Conciliis Ecclesiæ cum Episcopis habere:* eam verò sigillatim explicat in Sermone ubi agit de bulla Mendicantium.

Porro in eodem Codice pergameni folio nonagesimo quinto, recto & verso, hæc alia Censura *adversus Magistrum Joannem Sarrasin* extat, quam anno 1611. cum libello de Ecclesiastica & Politica Potestate una cum Articulis Parisiensibus contra Lutherum edi curavit Richerius.

IN nomine Domini, Amen. Per hoc præsens publicum Instrumentum, cunctis pateat evidenter & sit notum, quod anno ejusdem Domini millesimo CCCC^{mo} XXIX° more Gallicano, indictione octava, mensis Martii die tregesima & penultima, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri, Domini Martini divina providentia Papæ V. anno XIII°. In Congregatione venerabilium & circumspectorum Virorum Dominorum & Magistrorum Sacræ Theologiæ Facultatis studii Parisiensis, in Sancto Mathurino multum solenniter congregatorum, & more solito dictæ Facultatis Theologiæ Congregationem ibidem celebrantium: de mandato venerabilis & circum-

cumſpecti viri Magiſtri Petri de Dierreyo dictæ Facultatis Decani, tam Regentium quàm non Regentium, & Religioſorum, ac Secularium, ad infra ſcripta ibidem vocatorum, ſpecialiter propter hoc perſonaliter conſtitutus præfatus Dominus Decanus dicens & proponens, quod Frater Joannes Sarraſin Ordinis Fratrum Prædicatorum Licentiatus in Theologia, poſt Veſperias ſuas, fuerat delatus apud ipſum, & conſequenter apud dictam Facultatem, tanquam dixiſſet ea quæ ſequuntur, ſicut etiam ſcripta exhibita de propria manu, ſonare videbantur, formam quæ ſequitur continentia.

Primo, omnes Poteſtates juriſdictionis Eccleſiæ, aliæ à Papali Poteſtate, ſunt ab ipſo Papa quantum ad inſtitutionem, & collationem.

Secundo, hujuſmodi Poteſtates non ſunt de Iure divino, nec immediate inſtitutæ à Deo.

Tertio, non invenitur Chriſtum tales Poteſtates, ſcilicet alias à Papali, expreſſiſſe, ſed tantum ſupremam, cui commiſit Eccleſiæ fundationem.

Quarto, quandocunque in aliquo Concilio aliqua inſtituuntur, tota auctoritas dans vigorem ſtatutis, in ſolo ſummo reſidet Pontificio.

Quinto, ex textu Euangelii non habetur expreſſe alicui Apoſtolorum, niſi Petro, auctoritatem Iuriſdictionis fuiſſe collatam.

Sexto, dicere inferiorum Prælatorum Poteſtatem Iuriſdictionis, ſive ſint Epiſcopi, ſive Curati, eſſe immediate à Deo, ſicut Poteſtatem Papæ, veritati quodammodo repugnat.

(a) Septimo, ſicut nullus flos, & nulla pullulatio, nec etiam omnes flores, & pullulationes, ſimul poſſunt aliquid in arborem, quia hæc omnia ſunt propter arborem inſtituta, & ab arbore derivata: ſic, omnes aliæ Poteſtates, nihil de Iure poſſunt contra ſummum Sacerdotium. Infra dicitur, quod ſpiritualis Poteſtas eſt ſummus Pontifex, ut recitatur Hugonem de Sancto Victore dixiſſe ſecundo de Sacramentis: ex quo poteſt videri, quod hîc per ſummum Pontificium, ſummus Pontifex intelligatur.

Octavo, ſummus Pontifex canonicam Simoniam à Iure poſitivo prohibitam, non poteſt committere.

Quæ Propoſitiones ſeu dicta, pluries per Deputatos ejuſdem Facul-

(a) Hoc argumentum, verum eſt de Chriſto Domino qui eſt caput eſſentiale Eccleſiæ: nequaquam vero de Petro, qui eſt caput miniſteriale: Itaque, fallit à dicto ſimpliciter, ad dictum ſecundum quid.

tatis diligenter examinata, judicabamus esse reparanda: præsertim cum Dominus Rector, & multi de Universitate, talem reparationem requisiissent in præsentia dictæ Facultatis. Tandem præfatus Dominus Decanus, ex matura & diligenti ac concordi deliberatione Magistrorum dictæ Facultatis, tam Regentium quàm non Regentium, & tam Secularium quàm Religiosorum, præhabita CONCLUSIT, quod prædictus Frater Joannes Sarrazin, Ordinis Fratrum Prædicatorum, qui tunc & alias auditus fuit ad longum, & cujus intentio scita fuit, & qui etiam se submiserat dictæ Facultati Theologiæ, diceret in dicta Congregatione, & deinde in Aula Fratris Girardi de Salinis Ordinis Fratrum Minorum, post primam quæstionem expectatoriam, sub hac forma.

Ex Vesperiis meis quidam fuerunt scandalizati, sicut mihi significatum est per matrem meam Facultatem Theologiæ; tanquam intellexerint, quod voluerim inter alia, detrahere potestati & Ecclesiæ, & Prælatorum aliorum à summo Pontifice, tam majorum quam minorum, & quorumdam aliorum Ecclesiasticorum: & specialiter occasione quarumdam Propositionum per me in eisdem Vesperiis meis dictarum: Volens propterea, quantum in me est, tollere omne scandalum, & esse filius obedientiæ, & pacis, & assertor veritatis, dico nunc ex ordinatione ejusdem matris meæ Facultatis Theologiæ, cujus ordinationi, dispositioni, & omnimodæ determinationi me submisi, & submitto, ac etiam ultronea voluntate veritates quæ sequuntur.

Prima, omnes Potestates jurisdictionis Ecclesiæ, aliæ à Papali potestate, sunt ab ipso Christo, quantum ad institutionem & collationem primariam: à Papa autem & ab Ecclesia, quantum ad limitationem, & dispensationem ministerialem.

Secunda, hujusmodi Potestates sunt de jure divino, & immediate institutæ à Deo.

Tertia, invenitur in Sacra Scriptura Christum Ecclesiam fundasse, & Potestates alias à Papali expresse ordinasse.

Quarta, quandocumque in aliquo Concilio aliqua instituuntur, tota auctoritas dans vigorem statutis, residet non in solo summo Pontifice, sed principaliter in Spiritu sancto, & Ecclesia Catholica.

Quinta, ex textu Euangelii & doctrina Apostolorum habetur expresse, Apostolis & Discipulis à Christo missis, auctoritatem jurisdictionis fuisse collatam.

Sexta,

Sexta, dicere inferiorum Prælatorum poteſtatem juriſdictionis, ſive ſint Epiſcopi, ſive ſint Curati, eſſe immediate à Deo, Euangelicæ & Apoſtolicæ conſonat veritati.

Septima, aliqua poteſtas, ſcilicet poteſtas Eccleſiæ, de jure poteſt aliquid, & in certis caſibus, contra ſummum Pontificem.

Octava, quicumque purus viator, habens uſum rationis, cujuſcumque dignitatis, auctoritatis, aut præeminentiæ, etiamſi Papalis, exiſtat, Simoniam poteſt committere.

Denique, ſi aliqua protulerim vel ſcripſerim, quæ videantur prædictis contraria, vel quæ aliter ſcripta ſint, nolo in eis ſtare, ſed volo & ſupplico haberi pro non dictis vel ſcriptis, & alia quæcumque, quæ viderentur præbere occaſionem ſcandali vel erroris.

Qui quidem Frater Joannes Sarrazin, modo & forma prædictis, omnia & ſingula fecit, dixit, & protulit. Primo, videlicet in dicta Congregatione in Capitulo Sancti Mathurini Pariſiis, ut præfertur, celebrata: præſentibus ibidem venerabilibus & circumſpectis viris, Domino Decano prænominato, ac Magiſtris Joanne de Trecis, Guillelmo de Bomillon, Guillelmo de Sella, Emerico de Bruſſeriis, Rollando Barguenal, Guillelmo Boutitot, Joanne de Vernonne, Remondo de Altoponte, Philippo Bavet, Dionyſio de Sabrevois, Joanne le Gallois, Girardo Gerron, Martino Billery, Joanne Pulchripatris, Joanne de Gondiviller, Thoma Monachi, Rogerio de Gaillon, Joanne Soqueti, Guillelmo Adelie, Joanne Tripier, Joanne Graveſtain, Gaufredo Coclearis, Michaële Langlois, Georgio de Valleſponſa, Roberto de Porta, & Joanne de Queſneyo, Magiſtris in Theologia, tam Secularibus quàm Religioſis, ac Joanne Vacheau principali Bidello ejuſdem Facultatis. Item, eiſdem anno, indictione, menſe, die, & Pontificatu prædictis, dictus Frater Joannes Sarrazin dictas Propoſitiones legit & reparavit modo & forma ſupradictis, in Aula Reverendi Patris Domini Epiſcopi Pariſienſis, poſt primam quæſtionem Magiſterii Fratris Girardi de Salinis ſupradicti, præſentibus dicto Reverendo in Chriſto Patre Domino Epiſcopo Pariſienſi, ac venerabilibus ac circumſpectis viris Magiſtris Petro de Dierreyo Decano ejuſdem Facultatis, Guillelmo Eurardy Rectore Univerſitatis Pariſienſis, Hugone Majoris viceſgerente Cancellarii Eccleſiæ Pariſienſis, Guillelmo de Sella, Joanne Pulchripatris, Rogerio de Gaillon, Joanne Soqueti, Gaufredo Coclearis Magiſtris in Theologia; Laurentio Callot, Petro de la Haſardiere, Guillelmo Hugueti,

gueti, & Guillelmo Candelli, Magiſtris in Artibus, cum pluribus aliis tam Magiſtris, quam Doctoribus, Scholaribus, Baccalaureis: & Secularibus ibidem exiſtentibus: de & ſupra quibus præmiſſis omnibus & ſingulis, dicti Domini Decanus & Rector, & quilibet ipſorum, petierunt, & petiit à me Notario publico ſibi fieri & confici publicum Inſtrumentum, unum vel plura. Acta fuerunt hæc anno, indictione, menſe, die, Pontificatu, & locis prædictis, præſentibus prænominatis Teſtibus, ad præmiſſa vocatis ſpecialiter, & rogatis. Et ego Laurentius Pontrelli Presbyter Curatus Parochialis Eccleſiæ de Annovilla, Rothomagenſis Diœceſis, publicus Apoſtolica & Imperiali auctoritatibus Notarius, præmiſſis omnibus & ſingulis, dum ſic, ut ſuperius ſcripta ſunt, fierent, & agerentur, una cum prænominatis Teſtibus præſens fui, eaque ſic fieri vidi, & audivi: Idcirco huic præſenti publico Inſtrumento aliena manu fideliter ſcripto, me aliis occupato negotiis, ſignum meum publicum appoſui conſuetum, hic me propria manu ſubſcribendo, requiſitus & rogatus in teſtimonium veritatis præmiſſorum.

Signatum, PONTRELLI.

Hoc decretum, confirmatur etiam ſex ſequentibus concluſionibus articulorum ejuſdem Facultatis Pariſienſis contra Lutherum: quibus conſtat Chriſtum Dominum immediate contuliſſe infallibilem auctoritatem decernendi, & excommunicandi, toti Eccleſiæ collectivè ſumptæ, ut per unum exerceretur: ſumma vero totius Iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, in facultate excommunicandi conſiſtit, ut omnes Theologi norunt.

ARTICULUS XVIII.

Tenetur & quilibet Chriſtianus firmiter credere unam eſſe in terris Univerſalem Eccleſiam viſibilem, quæ in fide & moribus errare non poteſt: cui omnes fideles, in his quæ ſunt fidei & morum, obedire aſtringuntur.

XIX.

Quod ſi quid in Scripturis Sacris controverſiæ aut dubii oriatur, ad præfatam Eccleſiam definire & determinare ſpectat.

XX.

Eſt & certum, multa eſſe credenda, quæ non ſunt expreſſe & ſpeciatim tradita in Scripturis Sacris: quæ tamen per Traditionem Eccleſiæ ſunt neceſſario recipienda.

Eo-

XXI.

Eodem veritatis firmamento recipiendum, poteſtatem Excommunicandi eſſe de Jure Divino immediate à Chriſto Eccleſiæ conceſſam: & ob id magnopere timendas eſſe Cenſuras Eccleſiaſticas.

XXII.

Certum eſt Concilium Generale legitime congregatum Univerſalem repræſentans Eccleſiam, in fidei & morum determinationibus errare non poſſe.

XXIII.

Nec minus certum, unum eſſe de Iure Divino ſummum in Eccleſia Chriſti militante Pontificem: cui omnes Chriſtiani parere tenentur: qui quidem poteſtatem habet & Indulgentias conferendi.

Hic operæpretium eſt notare, in more poſitum eſſe, ut omnes Baccalaurei Facultatis Theologiæ Pariſienſis, tam Seculares quam Regulares, ſolenniter jurent in prædictos Articulos, eoſque propria Syngrapha obſignent: atque inſuper in omnium Diſputationum aut Actorum ſuorum exordio palam & publice profiteantur, ſe Sacrorum Conciliorum Definitionibus, necnon Decretis Sacratiſſimæ Facultatis Theologiæ Pariſienſis, jugiter adhæſuros: quarum Proteſtationum, eximium extat monimentum in Tabulario Facultatis, Anno M. D. VIII. *factum: & à Guidone Rigaudeau, ac Joanne Crozon Notariis publicis obſignatum.*

Tertium Scholæ noſtræ Decretum *adverſus Fratrem Joannem Angeli*, his conceptum verbis, leges in eodem Codice pergameneo, fol. Centeſimo ſexto recto, & verſo.

IN Nomine Domini, Amen. Hujus præſentis publici Inſtrumenti tenore cunctis pateat evidenter, & ſit notum, quod cum apud Almam Theologorum Facultatem Pariſienſem, ex parte Venerabilis Capituli inſignis Eccleſiæ Tornacenſis delatæ & præſentatæ extitiſſeut Quatuordecim Propoſitiones tanquam erroneæ, aut in fide male ſonantes in quodam papyri folio redactæ, & ſcriptæ; quas aſſerebat dictum Capitulum fuiſſe in Civitate Tornacenſi publicè in diverſis Prædicationibus ad populum per quendam Fratrem Joannem Angeli Ordinis Fratrum Minorum prædicatas, & aſſertas; ut conſtare dicebat per quandam informationem auctoritate Juſtitiæ factam, prædictæ Facultati ex parte ipſius Capituli cum dictis Propoſitionibus præſentatam, & ſuper illarum Propoſitionum qualificatione nonnulli egregii præfatæ

Facultatis Doctores & Magistri, unà cum Decano prædictæ Facultatis ad ipsas Propositiones examinandas, & earum veritatem judicandam per ipsam Almam Facultatem electi & deputati fuissent, diversisque diebus & reïteratis vicibus, tam in domo Domini Decani præfatæ Facultatis, quàm alibi prædicti Doctores & Magistri deputati, cum multis & variis argumentationibus & discussionibus super examine præfatarum Propositionum, & earum qualificatione, dictæque Informationis visitatione congregati extitissent, materiaque prædicta in multis Congregationibus prædictæ Facultatis agitata: TANDEM anno Domini millesimo CCCC. octuagesimo secundo, more Gallicano computando, Indictione prima, mensis verò Februarii die quinta, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri, Domini Sixti, Divina providentia Papæ Quarti, anno duodecimo. In mei Notarii publici præfatæ Facultatis Scribæ Testiumque infrascriptorum ad hæc vocatorum præsentia, præfata Alma Theologorum Facultas, apud Sanctum Mathurinum Parisiensem in loco solito, per egregium & doctissimum virum Magistrum Ioannem Huë Sacræ Theologiæ Professorem, Ecclesiæ Parisiensis Pœnitentiarium, ac præfatæ Facultatis Decanum, solemniter & per juramentum ad qualificandum præfatas Quatuordecim Propositiones convocata, & congregata, omnibusque Magistris in magno numero tamSecularibus quàmReligiosis in præfataCongregatione existentibus, unus post alium ad longum auditis: PRÆFATA Alma Theologorum Facultas, post omnium & singulorum præfatorum Magistrorum maturam deliberationem, per organum prænominati Magistri Joannis Huë Decani, nemine opponente, prædictas Quatuordecim Propositiones modo & forma & prout continetur in quodam papyri folio de verbo ad verbum in prædicta Congregatione pluries lecto, & mihi Notario publico tradito, qualificavit. Cujus papyri folii, dictas Propositiones & earum qualificationem continentis, tenor de verbo ad verbum sequitur & est talis. FRATER JOANNES ANGELI Religiosus Fratrum Minorum, in Quadragesima novissima publicè prædicavit Articulos, seu Propositiones sequentes, tam in Ecclesia Tornacensi, quam in Parochialibus Ecclesiis Sanctorum Petri, & Quintini Tornacensis, Capitulo Ecclesiæ præfatæ Tornacensis subditis, cui Fratres Minores Conventus civitatis Tornacensis favorem, & assistentiam omnimodam præbuerunt.

I. Articulus. Fratres Minores præsentati Episcopo & admissi, sunt

proprii

proprii Sacerdotes & veri Curati, & melius quàm Presbyteri Parochiales; quia facultatem suam habent à Summo Pontifice, & dicti Presbyteri ab ipso Episcopo duntaxat. QUICQUID sit de prima parte, propter æquivocationem istius termini *proprii:* DICIT tamen Facultas, quod Propositio in se, & quoad omnes reliquas partes, & probationem partis ultimæ, in qua dicitur (*ab Episcopo duntaxat*) est scandalosa, in fide erronea, Hierarchici Ordinis destructiva, & pro conservatione ejusdem Ordinis publicè revocanda, & abjuranda.

II. Articulus, Parochianus confessus dictis Fratribus, satisfecit decretali *Omnis utriusque sexus. de Pœnit. & remiss.* Nec tenetur confiteri proprio suo Curato semel in anno, nec ab eo petere licentiam. HÆC PROPOSITIO, ut jacet, est scandalosa, & Juri communi contraria; & pro subditorum ad Prælatos debitæ obedientiæ & reverentiæ observantia, publicè revocanda.

III. Articulus. Si Curatus recuset Sacramentum Eucharistiæ ministrare Parochiano eisdem Fratribus sic confesso, veniat ille Parochianus ad Fratrem qui eum audivit, & ipse sibi administrabit. HÆC PROPOSITIO in forma in qua jacet est falsa, & de hæresi vehementer suspecta, Juri communi contraria, & publicè revocanda.

IV. Articulus. Curatus Parochialis nihil debet recipere à Parochianis suis pro Confessione & Sacramentorum administratione, secus est de Mendicantibus. HÆC PROPOSITIO est contra dispositionem Juris Naturalis & Divini expressam; Ideo falsa, & notoriè hæretica.

V. Articulus. Curatus asserens Parochianos suos obligari ut sibi confiteantur semel in anno sub pœna peccati mortalis, est excommunicatus, & si celebret Irregularitatem incurrit. HÆC PROPOSITIO est falsa & injuriosa.

VI. Articulus. Faciens celebrare Missam per Sacerdotem tenentem secum mulierem suspectam, seu alias mali regiminis, peccat mortaliter. HÆC PROPOSITIO quia indeterminatè loquitur est dubia, temeraria, & nullomodo populo prædicanda.

VII. Articulus. Fratres prædicti non tenentur ad solutionem Quartæ, de qua in Clementina *Dudum. de sepulturis.* HÆC PROPOSITIO est Juri communi contraria.

VIII. Articulus. Papa posset totum Jus Canonicum destruere, & novum construere. HÆC PROPOSITIO est scandalosa, blasphematoria, notoriè hæretica, & erronea.

IX. Articulus. Aliqui Sancti sunt furiosi, gallicè *enragez*. HÆC PROPOSITIO est scandalosa, blasphematoria, & piarum aurium offensiva.

X. Articulus. Animæ in Purgatorio existentes sunt de jurisdictione Papæ, & si vellet posset totum Purgatorium evacuare. HÆC PROPOSITIO in se est dubia, & ad mentem asserentis per modum Iurisdictionis, & ordinariæ Potestatis, de falsitate suspecta, & scandalosa, & nullatenus populo publicè prædicanda.

XI. Articulus. Papa posset ab uno Ecclesiastico tollere medietatem redditum Beneficiorum suorum, & uni alteri dare, non exprimendo aliquam causam. HÆC PROPOSITIO est periculosa, & nullo modo prædicanda, ut jacet.

XII. Articulus. Quicumque contradicit voluntati Papæ paganizat, & sententiam Excommunicationis incurrit (ipso facto): & à nullo Papa reprehendi potest nisi in materia hæresis: HÆC PROPOSITIO est falsa, scandalosa, & sapiens hæresim manifestam.

XIII. Articulus. Bulla per Papam modernum eisdem Fratribus concessa, fuit Parisiis prædicata, & per Universitatem Parisiensem approbata, & qui eidem contradicit, sententiam Excommunicationis incurrit ipso facto. HÆC PROPOSITIO est falsa, & mendacium manifestum continens.

XIV. Articulus. Dictus Frater Joannes Angeli omnes & singulos Articulos supradictos pluries asseruit fore veros, & eosdem sustinere velle Parisiis, & ubicunque terrarum usque ad ignem, & illos nunquam revocare; dicens se non esse de numero Prædicatorum qui se revocant. HOC DICTUM, est hominis protervi, & pertinacis, & sufficiens ad procedendum contra eum judicialiter, tanquam contrà vehementer de hæresi suspectum.

DECLARAT etiam præfata Alma Theologorum Facultas, quod prædictorum Articulorum qualificatio, nullomodo derogat, nec præjudicat Clementinæ *Dudum. de sepulturis*. De qua quidem qualificatione, omnibusque præmissis, egregii & Doctissimi Viri Magistri Joannes Roerii Sacræ Theologiæ Professor, Canonicus prædictæ Ecclesiæ Tornacensis, tam suo quàm præfati Capituli nominibus, nonnullique etiam Doctores & Magistri in dicta Congregatione, & Joannes Paruy, *aliàs* Laurentii in Artibus Magister, in Jure Canonico Licentiatus, Hospitalarius & Canonicus præfatæ Ecclesiæ Tornacensis, tam suo quàm præfati Capituli nominibus; nonnulli etiam

etiam Doctores & Magistri in dicta Congregatione existentes, petierunt sibi & eorum cuilibet fieri atque tradi Publicum Instrumentum, seu Publica Instrumenta, unum aut plura, per me Notarium publicum subscriptum. Acta fuerunt hæc Parisiis in loco supradicto Sancti Mathurini, sub Anno, Indictione, die, mense & Pontificatu prædictis: Præsentibus ad hæc egregiis & Doctissimis Viris Magistris Antonio Ursi, Johanne de Hallies, Laurentio de Colonia, Guillelmo Houppelande, Jacobo l'Huillier, Reverendo in Christo Patre Domino Joanne Abbate Regalis montis, Reverendo etiam Patre Domino Joanne Abbate Caroliloci Ordinis Cistercienfis, Stephano Gervasi, Joanne de Touques, Joanne Quentin Sacræ Theologiæ Professoribus; necnon quamplurimis aliis in magno numero, tam Secularibus quàm Religiosis etiam Sacræ Theologiæ Professoribus, Testibus ad præmissa vocatis specialiter, & rogatis. Et ego Henricus Alexandri Presbyter, in Jure Canonico Baccalaureus publicus, auctoritate Apostolica & Imperiali auctoritatibus, ac venerandæ Curiæ Conservationis Privilegiorum famosissimi Studii Parisiensis juratus Notarius, prædictæque Almæ Theologiæ Facultatis Scriba: quia prædictorum Articulorum & Informationis pro parte Capituli Tornacensis supradictæ Almæ Theologiæ Facultati, præsentationi & exhibitioni, prædictorumque Articulorum examinationi & qualificationi, cæterisque præmissis omnibus, & singulis, dum sic ut suprà scribuntur, & per præfatos Decanum & Facultatem agerentur & fierent, unà cum prænominatis Testibus præsens interfui, eaque sic fieri vidi, & audivi: Idcirco huic Instrumento Publico alterius manu fideliter scripto, Signum meum publicum consuetum apposui: In fidem & testimonium præmissorum requisitus & rogatus. sic signatum, H. Alexandri.

Quartum Decretum ex eodem Codice excerptum est, fol. Centesimo quinquagesimo sexto verso, & Centesimo quinquagesimo septimo recto: continetque Responsionem Carolo VIII. Regi Christianissimo factam, cum Ecclesiæ serio reformandæ rationem iniret, postquam ex Italica expeditione victor rediit.

Anno Domini M. CCCC. XCVII. die undecima mensis Januarii, Sacratissima Theologorum Facultas Almæ Matris Universitatis Parisiensis congregata fuit apud Sanctum Mathurinum, pro terminandis

nandis quibusdam Quæstionibus à Domino nostro Rege ad se transmissis, super quibus jamdudum fuerant dati duodecim Deputati ex Magistris nostris, diu quoque & per plures dies continuè, per dictos Deputatos & alios fuerat disputatum super his: quibus Deputatis auditis, & consequenter omnium Doctorum Regentium & Magistrorum accepta uniformi deliberatione, & Conclusione, FUIT PER DICTAM FACULTATEM concorditer responsum ad dictas Propositiones affirmativè, videlicet ad Primam qua quærebatur: *A sçavoir-mon si le Pape est tenu de dix ans en dix ans assembler le Sainct Concile representant l'Eglise Vniverselle, & mesmement de present, consideré le desordre qui est tout notoire en l'Eglise*, tàm in capite quàm in membris. ET RESPONSUM EST, Quod Summus Pontifex & Pater Sanctissimus tenetur de decennio in decennium congregare Generale Concilium Universalem Ecclesiam repræsentans, & maxime nunc, cum tanta sit deordinatio in Ecclesia, tam in capitibus quam in membris, quæ cunctis notoria est.

Ad Secundam qua quærebatur: *Et en cas de urgente necessité, comme de present, ou quand dix ans sont passez apres le dernier Concile, si le Pape est prié & sommé de ce faire, & s'il est negligent ou differe, à sçavoir-mon si les Princes, tant Ecclesiastiques que Seculiers, & autres parties de l'Eglise, se peuvent assembler de soy-mesme, & s'ils feront le Sainct Concile representant l'Eglise Vniverselle, sans estre par le Pape assemblez.* DICTUM EST determinativè, Quod si tempore urgentis necessitatis, sicut nunc, vel post decem annos ab ultimo celebrato Concilio, dictus Summus Pontifex rogatus fuerit, requisitus, summatus, & monitus, de sic congregando dictum Concilium, ut supra, & facere recusaverit, & neglexerit, vel distulerit: tunc Principes tam Ecclesiastici quam Seculares, & Partes Ecclesiæ notabiles, possunt se congregare, sine hoc quod per dictum Summum Pontificem congregetur dictum Concilium Ecclesiam Universalem repræsentans.

Ad Tertiam qua quærebatur: *Si en cas de urgente necessité comme de present, ou apres dix ans passez, comme dessus, une grande & notable partie de la Chrestienté, comme le Royaume de France, ou le Roy representant iceluy, prie, somme, & admoneste le Pape & les autres Parties de soy assembler & pourvoir à la necessité de l'Eglise; & les autres Parties, ou aucunes d'elles sont negligentes, refusantes, ou dilayantes, d'y venir, A sçavoir-mon si ceux qui se trouveront, pourront celebrer ledict Concile sans les autres, & pourvoir à la necessité de l'Eglise.* DIXIT ET DEFI-

NIVIT

NIVIT prædicta Facultas, Quod tempore urgentis necessitatis ut nunc, vel post decennium ab ultimo celebrato Concilio, ut suprà dictum est, postquam aliqua bona magna pars & notabilis Christianitatis, quemadmodum Regnum Franciæ, vel Rex Christianissimus ipsius vices gerens, rogaverit, summaverit, & exhortatus fuerit dictum Summum Pontificem, cæterasque Partes Ecclesiæ, de congregando dictum Concilium, & ad ipsum conveniendo, & de providendo necessitati Ecclesiæ; ipse verò Pontifex vel aliquæ prædictarum Partium, fuerint recusantes, negligentes, vel differentes de veniendo ad dictum Concilium; Nihilominus illi qui aderunt & comparebunt, poterunt sine aliis non comparentibus, dictum Concilium celebrare, & necessitati Ecclesiæ providere. Actum anno & die prædictis.

Quæ Responsio, aperte declarat quidnam Parisienses Theologi, conformiter ad Constantiensis & Basileensis Synodi decreta de Authoritate Concilii supra Papam, & de Regum Christianorum Potestate in Conciliis indicendis, & congregandis tum temporis sentirent, atque docerent. Porro, ne aliquid eorum quæ in Prima editione libelli de Ecclesiastica & Politica Potestate continebantur, in hac Demonstratione desiderari possit, eam Censurâ Facultatis Parisiensis, adversus Mysterium iniquitatis Philippi Mornæi sic concludam.

SUbscriptas Propositiones prædicavit Claudius Cognati Ordinis Fratrum Prædicatorum, ad Parochialem Ecclesiam sancti Salvatoris Belvacensis, anno 1516. quas ad instantiam R. Patris D. Ludovici de Villers alias l'Isleadam, tunc Episcopi Belvacensis Facultas Theologiæ Universitatis Parisiensis, modo sequenti postea qualificavit, & hujusmodi qualificationes declaravit & prædicavit Magister Joannes de Quercu, Diœcesis Suessionensis Doctor Theologus, in die Festo Joannis Baptistæ, anno immediatè sequenti, Processione Generali Cleri & populi Belvacensis, apud Sanctum Michaëlem, Collegiatam Ecclesiam Civitatis Belvacensis congregata, prædicto R. Patre præsente, quas quidem & earumdem qualificationes approbavit juxtà præcedenteque dicti de Quercu, prædicationem in die Festo B. Matthæi Apostoli immediatè sequenti, & eodem anno in Prædicatione per eum facta in Curia Episcopali præfati R. Patris apud Belvacum, Processione generali totius Cleri & populi Belvacensis tunc celebrata in Civitate Belvacensi.

Se-

Sequitur prima Propositio.

TOy qui és marié à la fille ou fils d'un Prestre, qui n'a autre chose que le patrimoine de l'Eglise: & il t'a donné cent ou deux cens francs en mariage: Tu és damné & tes enfans, & les enfans de tes enfans, si tu n'en fais restitution.

Qualificatio hujus Propositionis.

Ista Propositio (ut jacet) & ita generaliter & indistinctè prolata, est falsa, temeraria, scandalosa, piarum mentium turbativa, & publicè revocanda. Quoniam, & si incontinentiam Sacerdotum vehementer abhorreamus, & gravissimè detestemur, Presbyterique incontinentes & concubinarii gravißimè peccent, & Ecclesiam Dei multipliciter scandalizent, debeantque propterea per suos Superiores & Prælatos graviter puniri; si tamen contingat eos ex illicito vetitoque concubitu aliquos liberos procreare, possunt illis de bonis Ecclesiæ aliquid moderatè dare & elargiri.

Secunda Propositio.

Un fils legitime succedant aux biens paternels meubles ou immeubles, ignorant comment ses parens ont acquestes lesdits biens, est obligé de s'en enquerir & informer comment ils ont esté acquis bien ou mal sur peine de damnation.

Qualificatio.

Ista Propositio ita indistinctè (ut scribitur) dicta, est temerariè asserta, conscientiarum inquietiva, & multorum scrupulorum generativa: Ideò non prædicanda sed revocanda; propterea ad pacandas fidelium mentes, & extinguendos conscientiarum scrupulos; Dicit Facultas, quod filius legitimus succedens patri in bonis paternis habens bonam fidem & contra quem non laborat fama ab honestis personis exorta, quod talia bona fuerunt malè acquisita, nec est inquietatus super illis, non tenetur inquirere.

Tertia Propositio.

Les Freres Prescheurs & Mineurs presentez à l'Evesque, soit admis ou non par iceluy, sont les propres Prestres, & vrays Curez: & sont à preferer aux Curez parroissiaux: Car ils ont leurs facultez & institutions du Pape par privileges, & les Curez l'ont par l'Evesque tant seulement.

Qualificatio.

Quicquid sit de prima parte propter æquivocationem hujus termini, Proprii, *Dicit tamen Facultas, quod Propositio in se & quo ad omnes reliquas partes, & probationem partis ultimæ in qua dicitur, Quod Curati parrochiales habent suam facultatem & potestatem ab Episcopo duntaxat;*

est

est scandalosa, in fide erronea, Ordinis Hierarchici destructiva, & pro conservatione ejusdem Ordinis publicè revocanda, & abjuranda.

Quarta Propositio.

Les dits Freres ont par privilege puissance d'absoudre de plusieurs cas, dequoy ne peuvent absoudre les dits Curez.

Qualificatio.

Ista Propositio censenda est falsa, & Juri communi contraria, scandalosa, & ideo nullatenus prædicanda.

Quinta Propositio.

Quand aucun Parroissien se confesse aus dits Freres presentez, il satisfait à la Decretalle *Omnis utriusque sexus. De Pœnitentia & remiss.* & n'est point tenu de se presenter, ni confesser à son Curé parroissial, ne luy demander licence, jaçoit que ce soit pour la Confession Paschalle.

Qualificatio.

Ista Propositio, ut jacet, est scandalosa, & Juri communi contraria, & pro subditorum ad Prælatos debitæ obedientiæ & reverentiæ observantia, publicè revocanda.

Sexta Propositio.

Si un Curé refuse d'administrer le Sacrement de l'Autel au Parroissien qui se Confesse aus dits Freres, vienne au Frere qui l'a oüy en Confession, & ledit Frere luy administrera le Sacrement contre la volonté de son Curé.

Qualificatio.

Ista Propositio in forma in qua jacet, est falsa & de hæresi multum & vehementer suspecta, Juri communi contraria & publicè revocanda.

Septima Propositio.

Le Curé parroissial qui presche ou dit que ses Paroissiens sont obligez sur peine d'excommuniement de se confesser à luy une fois l'An, est excommunié, & s'il celebre il encourt irregularité.

Qualificatio.

Ista Propositio est falsa & injuriosa.

Octava Propositio.

Dit outre que les dits Freres ont une Bulle preschée & publiée à Paris, & approuvée par l'Université de Paris, par laquelle ils ont ledit Privilege.

Qualificatio.

Hæc Propositio est falsa & mendacium manifestum continens.

Nona Propositio.

Un Curé parroissial ne doit rien prendre de ses Parroissiens pour oüir Confession, ne pour administrer les Sacremens, & s'il en demande il est Symoniaque.

Qualificatio.

Hæc Propositio est contra dispositionem Juris Naturalis & Divini expressam, ideo falsa & notoriè hæretica.

Decima Propositio.

Les parroissiens ne sont point obligez bailler aucune chose aus dits Curez parroissiaux, ni à leurs Vicaires pour les administrations des Sacremens, & s'ils en baillent ils pechent.

Qualificatio.

Hæc Propositio ita indistinctè prolata in sensu in quo communiter accipitur, est falsa, temerariè asserta, scandalosa, quia retractiva subditorum ab iis ad quæ obligantur, & ut talis revocanda.

Undecima Propositio.

Et pource,. bonnes gens je vous Conseille que ne leur bailliez plus rien pour les dits Sacremens afin qu'ils ne soient plus si envieux de vous confesser eux mêmes par leurs, & par ce moyen ils ne vous empescheront plus d'aller à confesse aus dits Freres Prescheurs.

Qualificatio.

Istud Consilium est iniquum, seditiosum, scandolosum, Presbyteris parrochialibus injuriosum, publicè reparandum.

Declarat etiam sacra Facultas Theologorum Parisiensium quod prædictorum Articulorum Qualificatio nullomodo derogat nec præjudicat Clementinæ, Dudum de Sepulturis.

Hæc Censura legitur im memorato Codice pergameni. fol.

Finis Libri primi.

VINDICIÆ DOCTRINÆ MAJORUM

SCHOLÆ PARISIENSIS

Pro regendis finibus utriusque Potestatis.

LIBER SECUNDUS.

AUCTORE

Magistro EDMUNDO RICHERIO.
Doctore ac Socio Sorbonico.



COLONIÆ.

Apud BALTHASARUM AB EGMOND
& Socios. cIↄ Iↄ CLXXXIII.

VINDICIÆ DOCTRINÆ MAJORUM SCHOLÆ PARISIENSIS

Pro regendis finibus utriuſque Poteſtatis.

LIBER SECUNDUS.

CONTRA USURPATIONES BONIFACII VIII. ADVERSUS PHILIPPUM PULCHRUM FRANCIÆ REGEM.

Quæſtio diſputata in utramque partem pro & contra Pontificiam poteſtatem, per Ægidium de Roma Archiepiſcopum Bituricenſem.

Literæ ſive Bulla miſſa per Bonifacium VIII. Sereniſſimo Regi Philippo Pulchro.

BOnifacius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Philippo Francorum Regi. Deum time, & mandata ejus obſerva. Scire te volumus quod in ſpiritualibus & temporalibus nobis ſubes; Beneficiorum & Præbendarum ad te Collatio nulla ſpectat: Et ſi aliquorum vacantium cuſtodiam habeas, uſum fructum eorum Succeſſoribus reſerves: Et ſi quæ contuliſti, collationem hujuſmodi irritam decrevimus: Et quantum de facto proceſſerit revocamus. Aliud autem credentes, hæreticos reputamus. Datum Laterani Non. Decembris. Pontificatus noſtri anno ſeptimo.

Responsio Regis Philippi Pulchri ad Bonifacium sive Bullam præcedentem.

PHilippus Dei Gratia Francorum Rex, Bonifacio gerenti se pro Summo Pontifice, salutem modicam sive nullam. Sciat tua maxima fatuitas in temporalibus nos alicui non subesse: aliquarum Ecclesiarum & Præbendarum vacantium Collationem ad nos Jure Regio pertinere, & fructus earum nostros facere. Collationes a nobis factas & faciendas fore validas in præteritum & futurum: & earum possessores contra omnes viriliter nos tueri. Secus autem credentes fatuos reputamus & dementes. Datum &c. Anno 1303.

Quæstio bene disputata ad Argumenta super Debato præcedentium Literarum.

QUæstio est utrum Dignitas Pontificalis & Imperialis, sive Regalis sint duæ Potestates ad invicem distinctæ: Et hoc est quærere, utrum Summus Pontifex plenam Jurisdictionem, & ordinariam Potestatem habeat tam in temporalibus quam in spiritualibus: Ita quod omnes Principes temporales subsint ei quantum ad temporalia.

Quod sint Potestates distinctæ & quod Papa non habeat dominium omnium temporalium probatur primo per rationes Physicas: secundo per rationes Theologicas: tertio per Jura Canonica: quarto per Jura Civilia.

Primo sic arguitur: Philosophus 2 de Anima dicit quod *Potentiæ distinguuntur per Actus.* Ubi igitur sunt actiones disparatæ, ibi sunt necessario potestates disparatæ. Sed Regimen temporalium & spiritualium sunt actiones omnino disparatæ. Quæ autem sunt disparata, unum non subest alteri. Ergo Potestas temporalis non subest spirituali.

Item secundum eundem Philosophum, *potestates distinguuntur penes objecta.* Quia enim sonus quod est objectum auditus differt a colore, quod est objectum visus, ideo audientia & visiva sunt duæ potestates distinctæ. Sic temporalia & spiritualia sunt omnino distincta, nec sub eodem genere continentur, nec communicant in materia. Ergo temporalis & spiritualis Potestates sunt distinctæ, nec dependentes ab invicem.

Item secundum eundem, *Actiones & Potentiæ distinguuntur penes finem.* Quia enim ad alium finem ordinantur intellectus & sensus, ideo sunt potentiæ in anima disparatæ. Sed ad alium finem ordinatur Potestas spiri-

ſpiritualis, & ad alium temporalis, ſicut patet de ſe, & declarabitur infra in corpore Quæſtionis. Ergo, &c.

Item probatur hoc idem per rationes Theologicas ſic: *In principio Deus creavit Cœlum & Terram Geneſis* 1. *Id eſt Spiritualem & corporalem creaturam*, ſecundum B. Auguſtinum, hæc eſt prima & maxima differentia quæ poſſit eſſe inter creaturas, nec communicant in materia, & diverſa requirunt regimina, quia aliam & aliam ordinationem habent. Ergo Poteſtates Regendi neceſſario ſunt diſtinctæ. Item primo die Creationis Mundi Creavit Deus Lucem, *& diviſit Lucem a tenebris.* Scilicet ſicut exponunt Auguſtinus & alii Sancti, per Lucem ſignificantur ſpiritualia, & per tenebras temporalia. Ergo ſic diſtinguuntur & differunt ſpiritualia a temporalibus, ſicut differt lumen a tenebris. Ergo & Poteſtates utriuſque Regiminis omnino diſtinctæ ſunt. Nam ait Apoſtolus quod participatio lucis a tenebris eſt quaſi nulla. Item quarta die fecit duo Luminaria magna ad decorem & regimen Univerſi, videlicet Solem & Lunam, quorum utraque officia ſunt diſtincta & diverſa: quia Solem ordinavit ut præeſſet diei, & Lunam ut præeſſet nocti. Sic per iſta duo Luminaria ſignificantur duæ iſtæ Poteſtates ut per Solem intelligatur Papa qui præeſt ſpiritualibus, & per Lunam Imperator, qui præeſt in temporalibus, ſicut habetur *Extravag. de majoritate & obedient. Cap. Solitæ:* ubi ſic dicitur, *ad firmamentum viſibilis Eccleſiæ fecit Deus duo Luminaria magna, quæ ſunt Pontificalis auctoritas & Regalis dignitas.* Sicut ergo Sol & Luna immediate ſunt producta a Deo, nec unum proceſſit ex alio, licet multum differant claritate: ſic utraque Poteſtas Pontificalis & Regalis immediate ſunt a Deo, licet differant dignitate. Item in Lege Veteri, iſtæ duæ Poteſtates fuerunt diſtinctæ, unde & in ea fuit duplex unctio, Pontificalis & Regia, & habebant officia diſtincta, ita quod unus non debebat nec impune poterat officium alterius uſurpare: Nec Regalis dignitas ſuberat Pontificali in temporalibus. Ergo multo magis in Lege Nova iſtæ duæ Poteſtates ſunt diſtinctæ, ita quod una non ſubeſt alteri quantum ad temporalia. Item Lex Gratiæ majorem ſpiritualitatem requirit in Pontificali dignitate quam Lex Vetus: Sic ne Miniſtri Veteris Legis impedirentur a cultu Divino, noluit Deus habere eos Dominium terrenorum: Unde Tribus Levi non habuit partem & hæreditatem inter alias Tribus in diviſione Terræ promiſſionis, ſicut in Levi & Joſue. Ergo multo minus Pontifices & alii Miniſtri Novæ Legis, non deberent habere nec quærere Dominium terrenorum. Item, ſicut ait Salvator *non eſt diſcipulus ſuper Magiſtrum*,

nec servus major Domino suo, nec vicarius majorem habet potestatem quam ille, cujus vices gerit, sibi duxerit committendam: Sed Christus quamvis hæreditario jure Dominus esset omnium, tamen hac potestate uti noluit, sed etiam oblatam penitus recusavit, sicut legitur Joannis 6. Cum quæreret eum populus ut facerent Regem, fugit, tanquam contemnens & contemnendam docens insatiabilem voracitatem avaritiæ, & ambitionis inexplebilem vanitatem: Spiritualiter suo Vicario dans exemplum, non ambiendi, & multo fortius non usurpandi sibi Imperatoriam vel Regiam dignitatem. Item Lucæ 12 scribitur quod cum Christo Domino diceret quidam, *Domine dic fratri meo ut dividat mecum hæreditatem*: Respondit, *homo quis me constituit Judicem & dividere super vos*? Ecce Dei Filius super Dominium temporalium recusavit Judicium, qui tamen constitutus est a Deo Judex vivorum & mortuorum. Ergo Vicarius ejus de Jurisdictione temporali non debet se intromittere. Item Successor Petri non habet majorem potestatem in temporalibus quam habuit Petrus primus de Christi Vicariis: Sed nec Petro, nec cœteris aliis permisit Deus habere Dominium terrenorum: Imo potius eximiam humilitatem præcepit eis tenere & inviolabiliter observare, sicut patet in Euangelio. Ergo Successor Petri nullam habet in temporalibus jurisdictionem. Item Dominus interrogatus a Judæis utrum liceret censum dare Cæsari? visa imagine numismatis, respondit, *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo*. Ergo quæ sunt Cæsaris, & quæ sunt Dei sunt distincta. Item in commissione facta Vicario Petro, non legitur potestas temporalis sed tantum spiritualis ei fuisse commissa: *Tibi* inquit *dabo claves Regni Cœlorum*: non dicit & Dominium terrenorum: Unde statim subjungit, quasi semet ipsum exponens, de spirituali tantum potestate dixisse *quodcumque ligaveris super terram erit ligatum & in Cœlo, & quodcumque solveris &c.* Et post resurrectionem suis dixit Apostolis: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis &c.*

Item, per Jura Canonica probatur hoc idem multipliciter. Primo sic 10 distinct. *Quoniam idem* &c. Ubi ista quodammodo disputantur in Glossa: Dicitur sic in textu: *Idem Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, actibus propriis & dignitatibus distinctis, officia Potestatis utriusque propria discrevit*. Glossa dicit ibi, *Quod Christus officia Potestatis utriusque exercuit, ut ostenderet quod utraque Potestas ab eodem processit: non quod una persona illa duo officia exerceat, vel gerere debeat, hæc enim duo dona Imperium & Sacerdotium ab eodem principio sunt: Ut in Authentica,*

Quo

Quo modo oporteat Episcopos &c. In principio Collati. 3. Item ibidem super verbo *Discrevit: Cum ergo istæ Potestates sint distinctæ, est hoc argumentum quod Imperium non habetur a Papa: Et quod Papa non habeat utrumque gladium: Et quod Imperium a Deo solo habetur, ut* 24 *Quæst.* 3 *Cap. Quæsitum. Alioquin si ab ipso haberetur, licite appellaretur in temporalibus ad ipsum. Quod prohibet Alexander, & dicit, quod illa non contingunt suam Jurisdictionem, ut apparet Extravag. de Appellationibus, Cap. Si duobus, & Extravag. Qui filii sunt legitimi, Cap. Causam, & Cap. Lator.* Item, Quicumque solvit tributum alicui non videtur præesse in temporalibus, sed magis subesse: Sed solvit Papa Tributum Imperatori *ut* 11. *Quæst.* 1. *Cap. Magnum, &* 23. *Quæst.* 8. *Cap. Tributum:* Ubi sic dicitur *Tributum in ore piscis piscante Petro inventum est: Quia de exterioribus suis, quæ palam cunctis apparent, Tributum Ecclesia reddit.* Et infra, *de exterioribus Ecclesiæ* quidem consuetum est antiquitus pro pace & quiete qua nos tueri & defensare debent, Imperatoribus *persolvendum est.* Item supra *dist.* 8. *Quo Jure,* ait Augustinus, divinum jus in divinis Scripturis habemus, Humanum jus in scriptis Legibus: Unde quisquis possidet quod possidet, nonne Jure humano? Nam Jure divino, Domini est terra & plenitudo ejus &c. Pauperes & divites Deus de uno limo fecit, & una terra supportat. Jure igitur humano dicitur hæc villa mea est: *Jura autem humana Jura Imperatoris sunt.* Quare ipsa Jura *humana per Imperatores & Reges seculi Deus distribuit humano generi. Tolle Jura Imperatoris, & quis audet dicere hæc villa mea est, meus est iste servus, mea est hæc domus? Et ideo Apostolus voluit servire omnibus Regibus, voluit honorare Reges & dixit, Regem reveremini. Noli igitur dicere quid mihi & Regi? Quid tibi ergo & possessioni? Per Jura Regum possidentur possessiones: Si autem dicis quid mihi & Regi? Noli ergo possessiones tuas dicere tuas, quia ipsa jura renunciasti humana, quibus possessiones possidentur.* Istud decretum S. Bn. magnum terrorem debet memorare volentibus resistere Regi Franciæ. Item, Qui confirmat electionem alterius ei subesse non debet de Jure. Sed Regi Franciæ Carolo data fuit potestas a Papa in Synodo confirmandi Papam, & ordinandi Sedem Apostolicam: igitur Rex Franciæ ei subesse non debet de Jure. Probatur 63. *dist. Cap. Adrianus &c.* Ubi sic dicitur de Carolo post debellationem adversariorum Romanæ Ecclesiæ. Demum *Romam reversus constituit ibi Synodum cum Adriano Papa in Patriarchio Lateranensi, in Ecclesia Sancti Salvatoris; quæ Synodus celebrata est cum centum quinquaginta tribus Episcopis, Religiosis & Abbatibus. Adrianus autem*

Papa cum Universa Synodo, tradidit Carolo Jus & potestatem eligendi Pontificem, ordinandi Sedem Apostolicam: Et dignitatem Patriciatus ei concesserunt. Insuper Archiepiscopos & Episcopos per singulas Provincias Investituram accipere definierunt: Et ut nisi a Rege laudetur & investiatur Episcopus, à nemine consecretur: Et quicumque contra hoc Decretum ageret, anathematis vinculo eum innodavit, & nisi resipisceret bona ejus publicare præcepit. Hoc idem ostenditur de Carolo & Othone filio ejus Imperatore Theutonicorum 63. *dist. Cap. In Synodo: In Synodo Congregata Romæ in Ecclesia Sancti Salvatoris ad exemplum B. Adriani, Apostolicæ Sedis & Investituram Episcoporum concesserunt: Ego quoque Leo servus servorum Dei Episcopus, cum cuncto Clero & Romano populo, Constituimus, confirmamus, & corroboramus & per nostram auctoritatam Apostolicam concedimus atque largimur Domino Othoni I. Regi Theutonicorum ejusque Successoribus hujus regni Italiæ sibi facultatem eligendi Successorem atque Summæ Sedis Apostolicæ Pontificem ordinandi, ac per hoc Archiepiscopos, sive Episcopos, ut ipsi Investituram accipiant & Consecrationem.* Et infra, *Quod si a Clero & populo quis eligatur Episcopus, nisi a supra dicto Rege laudetur & investiatur, non consecretur. Si quis contra hanc auctoritatem Apostolicam moliatur, hunc excommunicationi subjacere decrevimus: Et si non resipuerit, irrevocabili exilio puniri, vel ultimis suppliciis feriri. Etravag. de Election. Cap. Venerabilem,* super verbo, *Caroli,* Glossa dicit, *Cui jus Patriciacus sive dignitas collata est;* ergo est Patronus Romanæ Ecclesiæ, non ergo ei subjicitur. Si dicas quod Ludovicus Imperator & Primus Henricus & Primus Otho renunciaverunt huic Privilegio confirmandi Papam & Sedem Apostolicam ordinandi, sicut habetur 63 *dist. per totum.* Dicimus è contra quod non propter hoc subjecerant se Papæ vel Sedi Apostolicæ, quantum ad temporalia: Imo sicut prius erant non subjecti. Item *Extravag. de majoritate & obedientia. Cap. Solitæ.* dicit Papa, *Non negamus quin præcellat Imperator in temporalibus illos duntaxat qui ab eo receperunt temporalia.*

Sed Papa & Romana Ecclesia quicquid habent in temporalibus pro majori parte perceperunt ab Imperatoribus. Similiter aliæ Ecclesiæ temporalia bona quæ possident, receperunt a Regibus & Principibus. Ergo &c. Item *Extravag. de Foro competenti, Cap. Licet,* dicitur: *Mandamus si quando Laicis Vercellensibus literas super rebus præcipue quæ Forum seculare contingunt, a Sede Apostolica contigerit impetrari, sublato appellationis obstaculo, decernas auctoritate nostra irritas & inanes: Dummodo Consules & Communitas de se conquerentibus in Judicio seculari exhibeant Justitiæ complementum.* Ergonec quoad Regem Franciæ.

Item,

Item, hoc idem probatur per Jura Civilia *in Authentica, quo modo oporteat Episcopos* &c. In principio, Collatione prima, dicitur: *Maxima quidem in omnibus sunt dona Dei & a superna Collata Clementia Sacerdotium & Imperium: Illud quidem divinis ministrans, hoc autem humanis præsidens* & diligentiam exhibens: ex uno eodemque principio utraque procedentia, humanam exornant vitam. Et ita si Sacerdotium inculpabile sit undique & apud Deum fiducia plenum; Imperium autem recte & competenter exornet traditam sibi Rempublicam, erit consonantia quædam bona, omne *quicquid utile est humano conferens generi.* Glossa super verbo *Maxima*: *Vere maxima quia his duobus totus regitur mundus: unde illud, Ecce gladii duo hic.* Item Glossa super verbo *Conferens*; *Apparet ergo quod nec Papa in temporalibus, nec Imperator in spiritualibus se debent immiscere.* Si dicas quod rationes & auctoritates præmissæ videntur facere magis pro Imperatore quam pro Rege Franciæ: & si quæras quare sunt hic inductæ? Respondeo ad probandum Jurisdictiones esse distinctas, quarum una est penes Papam, & Judices Ecclesiasticos, & alias penes Imperatorem & Reges. Omnia enim quæ pro Imperatore faciunt, valent nihilominus pro Rege Franciæ, qui Imperator est in regno suo. Specialiter ostendo quod Rex Franciæ non subsit Papæ in temporalibus. *Extravag. de Judiciis Cap. Novit:* ubi dicit sic Innocentius Papa: *Non putet aliquis* quod Jurisdictionem Illustris Francorum Regis perturbare, *& minuere intendamus, cum ipse Jurisdictionem nostram nec velit nec debeat impedire* Glossa super hoc dicit, *Patet quod Ecclesia vel Papa non habet utrumque gladium.* Et infra, *Non intendimus judicare de Feudo, cujus ad ipsum* spectat Judicium. *Glossa: Judicium Feudi spectat ad Regem directe, ad Papam ratione peccati.* Ex prima Authentica concluditur, quod Rex Franciæ non est subjectus Papæ in temporalibus. Ex secunda probatur quod subest Papæ primo & principaliter quoad spiritualia, quoad temporalia vero non nisi incidenter. Item, non debet de Jure dici superior, nisi ille ad quem licet appellare: sed a Judice seculari non licet appellare ad Papam in temporalibus. Ergo Judex secularis non subest Papæ, nec Papa est ejus superior in temporalibus. Igitur multo minus Regis. Probatur *Extravag. de Appellationibus. Cap. Si duobus. Denique quod quæris si a civili Judice non ante Judicium vel post ad nostram audientiam fuerit appellatum, an hujusmodi teneat appellatio.* Respondet Papa: Tenet quidem in his quæ sunt nostræ temporalitatis Jurisdictioni subjecta: In aliis vero etsi de consuetudine Ecclesiæ teneat, secundum juris rigorem cre-

credimus non tenere. Glossa: *Et ita patet quod Jurisdictio temporalis non pertinet ad Ecclesiam, nec de ea se debeat intromittere in præjudicium secularis Judicis. Supra de Judiciis Cap. Novit.* Et 1. Qui filii sunt legitimi Cap. Lator. & 1. de Privilegiis Cap. 20.

Item, videtur quod Rex Franciæ sit par Imperatori quantum ad libertatem suæ Jurisdictionis, quia regnum Francorum prius habuit Imperium quam regnum Theutonicorum. 63. *distinct. Ego Ludovicus*: Ibi dicitur in fine, quod cum Papa fuerit conservatus, legati mittuntur ad Imperatores, & Reges Francorum, qui inter ipsos amicitiam, charitatem & pacem socient. Igitur videtur quod Imperator & Rex Francorum sunt pares. Glossa ibidem notat Imperium prius Francorum fuisse: sed postea Theutonici virtutibus promeruerunt Imperium * 28 *quæst.* 1. *Cap Omnis.* Et hoc ideo quia Romani in eos Imperium transtulerunt.

Item Extravag. *Qui filii sunt legitimi. Cap. Causam*: *Nos attendentes quod ad Regem pertinet non ad Ecclesiam de talibus possessionibus judicare, ne videamur* Regi Anglorum detrahere, qui ipsorum Judicium ad se asserit pertinere. Fraternitati vestræ mandamus quatenus Regi possessionum Judicium relinquentes de *causa principali plenius cognoscatis.* Si hoc dicitur de rege Angliæ qui Romanæ Ecclesiæ feudalis est & censualis, multo magis de Rege Franciæ verum erit, qui in nullo prædictorum penitus est subjectus. Et dicit ibi Glossa, *Sic patet quod Jurisdictio temporalis & spiritualis distincta est, & divisa: & sic Papa non habet utramque Jurisdictionem.* Item *Extravag. Qui filii sunt legitimi. Cap. Per venerabilem.* dixit Papa expresse *quod Rex Francorum in temporalibus superiorem minime recognoscit.* Si dicas prout dicit Glossa *verum est de facto, sed non de Jure:* quia de Jure debet recognoscere Imperatorem, ut patet 7. *quæst.* 1. *Cap. In Apibus & Extravag. de Electione Cap. Venerabilem.* Respondeo, *Illud factum*, versum esse in consuetudinem: quæ dat Jurisdictionem, ut dicit Innocentius *Extravag. de Judiis* Cap. Novit. super verbo, Consuetudinem: *Nota*, inquit, *Consuetudinem dare Jurisdictionem supra de arbitr.* delect. Et ibi præmittitur in Glossa, nota Jurisdictionem *pacificari Juri & Privilegio* 9. *quæst.* 3. *cap. Conquestus.* Quia ista etiam consuetudo est approbata & hactenus observata pacifice: nec a Papa nec ab Imperatore impugnata, imo juramentis & pactionibus fœderata & ex longissimis temporibus jam præscripta.

Ad intelligentiam pleniorem & clariorem evidentiam propositæ quæstionis, consideranda sunt quinque per ordinem & per articulos distinguenda.

Pri-

Primo videndum est, quod utraque Potestas spiritualis & temporalis a Deo est instituente & ordinante.

Secundo, quod istæ duæ Potestates distinctæ sunt & divisæ.

Tertio, quod Deus spiritualem Potestatem instituens nullum contulit ei dominium terrenorum.

Quarto declarabitur, in quibus terrena Potestas sit subjecta spirituali Potestati, & in quibus non.

Quinto specialiter ostendetur libertas, & exemptio Regis Franciæ, quare & qualiter nullum superiorem in temporalibus recognoscit.

ARTICULUS I.

QUod autem istæ duæ Potestates sint a Deo; de Potestate spirituali quam Christus B. Petro successori ejus contulit habetur Matthæi 16. *Tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, &c.* De temporali Potestate dicitur in Authentica 5. Collat. sexta, de Instrumentorum cautela §. *Quia igitur Imperium de Cœlo Deus instituit.* Item Proverbior. 6. *Per me reges regnant, & legum conditores justa decernunt.* * Et distinct. 4. *Transfert regna Deus & constituit.* Et Apostolus ad Romanos. 13. *Non est Potestas nisi a Deo.* De utraque simul dicitur. *dist. 96. Cap. In scripturis. & Cap. Duo:* ubi dicitur *Duo sunt Imperator Auguste, quibus principaliter hic mundus regitur, Auctoritas sacra Pontificum & Regalis Potestas.* Et in Authentica. Quo modo oporteat Episcopos &c. In principio Collatione prima: *Maxima quidem in omnibus, &c.* Require supra 21. Argumento. Glossa super verbo *Imperium:* Imo a Populo Romano videtur Imperium esse, ut Institutione de Jure naturali, §. Sed & quod Principi: Illud Dei dispositione factum fuit, sine quo factum est nihil. Nec obstat quod primo Regum legitur, quod contra voluntatem Domini videtur populus petiisse sibi Regem, quia volebat Dominus populum quem singulariter præ cunctis elegerat, quodam spirituali modo regere per Duces & Judices, viros scilicet mediocres: nec volebat quod alius ex Regali, Magisterium per superbiæ fastum, super populum efferret. Tamen quando populus non assentiens dispositioni Divinæ omnino voluit Regem habere, Deus, ejus precibus condescendens, indicavit ei, quis regnaturus esset, & populus illum elegit quem Deus indicavit. Hæc de primo articulo sufficiant.

ARTICULUS II.

Secundo declarandum eſt, quod iſtæ duæ Poteſtates ſunt diſtinctæ & ab invicem ſeparatæ. Cum enim homo conſtet ex duobus, ſcilicet corpore & anima, & duplex ſit vita corporalis & ſpiritualis: propter corporalem vitam obſervandam homo temporalibus indiget, & propter ſpiritualem ſpiritualibus opus habet. Imperatores & Reges poteſtatem habent ſuper corpora & res corporales ad vitam corpoream pertinentes. Poſſunt enim & debent corporali pœna punire reos, & legum Imperialium tranſgreſſores. Habent etiam Rempublicam ordinare, populos ſibi ſubjectos in pace & tranquillitate ſervare, defenſare patriam, & adverſarios debellare. Pontifices autem ſpiritualem Juriſdictionem habent quæ ad regimen & ſalutem animarum pertinet.

Rurſus cum duplex ſit civilitas, humana videlicet & divina, terrena & cæleſtis, temporalis & ſpiritualis; Civilem mundanam & temporalem ordinat & diſponit Imperialis poteſtas: Spiritualem vero Cæleſtem & Divinam in terris regit Pontificalis auctoritas. Ad cujus regimen Summus Pontifex habet plenitudinem poteſtatis. Inferiores autem Prælati in partem ſolicitudinis ſunt vocati. Ad utriuſque civilitatis regimen Deus duos gladios ordinavit, duas Juriſdictiones diſtinctas & differentes ad invicem, ſicut exponunt illud Lucæ 22. *Ecce gladii duo hic:* & reſpondit Dominus, *ſatis eſt.* Materiali gladio utuntur Principes ſicut ait Apoſtol. Roman. 13. *Princeps non ſine cauſa gladium portat, Dei enim miniſter eſt, & vindex in iram ejus qui malum agit.* De Spirituali gladio dicit idem Apoſtolus Epheſiorum 5. *Galeam aſſumite & gladium ſpiritus quod eſt verbum Dei.* Gladio ſpirituali utebantur Apoſtoli, materiali verò nunquam uſi eſſe leguntur, niſi dicatur, quod imminente Chriſti paſſione Petrus cum haberet gladium exemit, & unius auriculam amputavit.

Diſtinctæ ſunt igitur hæ Poteſtates, nec debent ſe mutuo perturbare. Quia ſicut Princeps non debet de ſpiritualibus intromittere ſe, ita nec Pontifex debet in temporalibus ſe immiſcere, nec Juriſdictionem temporalem aſſumere, niſi in certis caſibus determinatis a Jure, ſicut dicetur. Quod autem nec Princeps Pontificis, nec Pontifex Principis officium debeat uſurpare dicitur expreſſe diſt. 96. Cap. *Cum ad verum*: ubi dicitur, Cum ad verum ventum fuerit, ultra ſibi nec *Imperator Jura Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen Imperatorium ſibi uſurpavit:* Quaſi diceret: Quicquid diſputando vel ligitando dicatur,

tur, tamen cum ad veritatem definiendam ventum fuerit, debent duæ Poteſtates remanere diſtinctæ; ſicut ſunt divinitus inſtitutæ. Sequitur in Decreto primo allegato. *Quoniam* idem mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus, actibus propriis & dignitatibus diſtinctis Officia Poteſtatis utriuſque diſcrevit, volens homines medicinali humilitate efferri, non humana ſuperbia rurſus ad inferna demergi, ut & Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices tantummodo pro curſu temporalium rerum Imperatorum legibus uterentur, quatenus & ſpiritualis actio carnalibus inſtaret incurſibus: & Deo militans, non ſe negotiis ſecularibus implicaret, ac viciſſim non ille rebus divinis præſidere videretur, qui eſſet negotiis ſæcularibus implicatus. Gloſſa ſuper verbo *Diſcrevit*, dixit, *Quod utrumque officium geſſit per ſe, ut notaretur quod ex eodem fonte proceſſerunt.*

Sed melius dici poteſt quod Chriſtus quandiu fuit viator, temporalem Juriſdictionem nunquam exercuit. Nam quod ementes & vendentes ejecit de Templo, magis fuit officium Pontificis, cujus eſt templum mundare, omnes ſpurcicias ejicere, mercationes & negotiationes terrenas ab eo prorſus expellere: Et hoc ſatis patet ex verbis ejus cum dixit: *Auferte iſta hinc, & nolite facere domum Patris mei domum negotiationis, ſcriptum eſt enim, Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem feceſtis illam ſpeluncam latronum.* Item Gloſſa ſuper verbo *Surſum efferri. Si haberent aliqui omnia officia ſuperbirent ita quod iterum demergerentur in inferno.* Ex his evidenter apparet, & diſtinctio dignitatum, & ratio diſtinctionis earum.

ARTICULUS III.

Tertio declarandum eſt, quod Chriſtus in Inſtitutione Spiritualis Poteſtatis, nullum commiſit vel potius promiſit Dominium terrenorum. Nam Matthæi 16. ubi Chriſtus Vicarium ſuum inſtituit, videlicet B. Petrum & ſucceſſores ejus, ait: *Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: Et portæ inferi non prævalebunt adverſus eam: & tibi dabo claves regni cælorum:* non dixit & dominium terrenorum. Revolve cuncta Sacræ Scripturæ volumina; nunquam invenies Apoſtolos ſediſſe ut de temporalibus judicarent, nec petiiſſe ut Reges & Principes eis in temporalibus ſubjacerent, aut de hujuſmodi reſpondere deberent.

Item, ſicut ſupra dicebatur, *Non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum, nec*

ſervus

servus major domino suo. Nec Vicarius majorem potestatem habet quam ille cujus vices gerit. Cum igitur Christus Dominus hac potestate uti noluerit, sed oblatam refugerit, exemplo suo evidenter ostendit & evidentia facti docuit vicarium suum talem potestatem refugere, non ambire, nec sibi Imperatoriam Majestatem aut dignitatem Regiam vendicare. Ecce Christus Jesus Rex regum, Dominus dominantium regale fugit dominium & fastuosum fastigium recusavit. Igitur qua ratione vel auctoritate Vicarius ejus vendicabit sibi culmen vel nomen Regiæ dignitatis?

Item, Successor Petri non plus habet potestatis quam Petrus primus Dei vicarius. Sed Christus tam Petro quam cæteris Apostolis dominium, potestatem & jurisdictionem in temporalibus interdixit, cum eis eximiam paupertatem indixit dicens, nolite possidere aurum & argentum &c. Propter quod ipsi Domini sui præcepta inviolabiliter observare volentes, ac Magistri documenta sine fictione tenentes, tantum gloriabantur de eximiæ paupertatis observantia, quam solent cupidi de terrenorum opulentia gloriari. Unde Petrus jocondanter dicebat, argentum & aurum non est mihi. Omnino elongationem a possessione terrena & dominio temporali præcepit Christus ipsis, volens eos spirituales esse, & a terrenis quantum fragilitas humana patitur, elongatos, vacare spiritualibus & æternis, ac saluti animarum intendere, quibus omnium Ecclesiarum solicitudinem committebat. Sciebat enim quod temporalia perturbant, animum distrahunt, intellectum & mentem ad inferiora demergunt, sicut expresse dicitur *dist. 96. Cap. Cum ad verum.* vide supra.

Est autem intelligendum quod cum Christus triplicem habuerit potestatem, videlicet rerum corporalium, animarum, & temporalium facultatum: prima potestate usus est infirmitates corporales curando, mortuos suscitando, ac in cunctis rebus corporalibus multimoda miracula faciendo. Secunda usus est & commisit, videlicet spiritualem, quantum est necessarium & expediens ad salutem animarum. Tertia nec usus est sicut patet per exempla præmissa, nec commisit, quin potius eam Petro quam cæteris Apostolis interdixit, ut dictum est. Attende quid B. Bernardus scribens ad Eugenium Papam dicat: *Et nos, inquit, ut vere sentiamus de nobis impositum novimus ministerium non dominium datum. Si Sapiens es contentus esto mensura qua mensus est Deus: quod enim amplius est, a malo est: Disce exemplo prophetico præsidere non tam ad imperandum quam ad faciendum. Disce sarculo opus tibi esse non regio sceptro,*

ut

ut opus facias prophetæ, id est, ut evellas & destruas, disperdas & dissipes, ædifices & plantes. Et hæc quidem ille. Auditum est hoc supra, ideo non regnaturus ascendit sed exstirpaturus. Putasne & tu invenies ad elaborandum in agro Domini tui? utique plurimum. Et infra: quid tibi dimisit sanctus Apostolus? *Quod habeo*, inquit, *hoc tibi do.* Quid illud? *Argentum*, inquit, *& aurum non est mihi: quod autem non habuit dare non potuit: Esto ut alia quacumque ratione hoc tibi vendices, sed non Apostolico Jure.* Quod habuit hoc dedit, solicitudinem videlicet super omnes Ecclesias: Numquid dominationem? Ipsum audi, *non dominantes*, ait, *in Clero*, *sed forma facti gregis:* & ne dictum ex sola humilitate putes, non etiam veritate, vox Domini est in Euangelio: *Reges Gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos benefici vocantur, vos autem non sic.* Planum est quod Apostolis interdicitur Dominatus. Igitur & tu tibi usurpare audes aut dominans Apostolatum, aut Apostolatus dominatum? Plane ab alterutro prohiberis. Si utramque simul habere voles, perdes utramque. Alioquin non te exceptum ex illorum numero putes de quibus conqueritur Dominus dicens: *ipsi regnaverunt & non ex me, Principes extiterunt & ego non novi eos.* Et sic declaratum est quod summo Pontifici Successori B. Petri non est collatum a Deo Dominium terrenorum, nec Jurisdictio temporalis. Quæ igitur est dignitas aut Potestas collata summo Pontifici? Quæ auctoritas B. Petro Vicario Jesu Christi concessa? Profecto nobilior, sublimior & utilior quam Imperialis. nam quantum distat Oriens ab Occidente, corpus ab anima, corporalia à spiritualibus, terrena a cœlestibus, tantum distat auctoritas Summi Pontificis a culmine Imperialis aut Regiæ dignitatis. Audi Dominum Vicarium suum instruentem in Euangelio: *Tu es*, inquit, *Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferi non prævalebunt adversus eam, & tibi dabo claves regni cælorum.* Ecce quod quicquid majus, quicquid sublimius excogitari potuit in hac vita, Summo Pontifici divinitus est collatum. Quid igitur quærit amplius? Nunquid non oculum habere ad hæc inferiora corruptibilia, videtur ejus celsitudini denegare? Patet igitur ex prædictis, quod Pontificalis auctoritas & Regalis dignitas sunt duæ Potestates distinctæ divinitus institutæ. Et hoc declaratum est in primo Articulo. Item, quod sunt distinctæ, divisæ & separatæ ita, quod uni non licet Jurisdictionem alterius usurpare, & hoc declaratum est in Articulo secundo. Item, quod Jurisdictio sive dominium temporalium non est concessa Summo

Pontifici, propter quod non se debet intromittere de Jurisdictione temporali nisi casualiter. Quia in temporalibus non habet ordinariam potestatem, sicut expresse habetur *Extravag. Qui filii sunt legitimi cap. Per venerabilem:* Ubi sic Papa dicit, *Non solum in Ecclesiæ patrimonio, super quo in temporalibus plenam gerimus Potestatem, verumetiam in aliis regionibus certis causis inspectis, temporalem Jurisdictionem casualiter exercemus: non quod alieno Juri præjudicare velimus, sed quia sicut in Deuteronomio continetur, si difficile & ambiguum apud te Judicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram, & Judicum inter se verba videris variari, venies ad sacerdotes Levitici generis, & ad Judicem qui fuerit illo tempore, qui indicabunt tibi Judicii veritatem.* Ubi sic dicit Glossa, *quod Papa de temporalibus judicare potest cum requiritur, videlicet quando Judicium ambiguum est inter Judices seculares.* Et sic declaratus est tertius Articulus.

ARTICULUS IV.

QUarto declarandum est in quibus & quo modo Potestas temporalis subjecta est spirituali Potestati, & in quibus non. Ad cujus evidentiam notandum est, quod quædam sunt causæ mere spirituales, sicut Causæ matrimoniales, *Extravag. de Officio delegat. Cap. Causam matrimonii.* Item Causæ decimarum, *Extravag. de Decimis*, per totum. Item Causæ Simoniæ, *Extravag. de Simonia* per totum. Item Causæ hæresis, *Extravag. de Hæreticis. Cap. Ad abolendam & Cap. Vergentis, & Cap. Excommunicamus.* Item Causa divortii, *Extravag. de Procura.* Et omnes aliæ Causæ matrimoniales sunt spirituales. De quibus dicit Innocentius *Extrav. de Judiciis*, super illam Decretalem *Novit*, super verbo *Juramento. Nota, Crimen pacis fractæ & perjurii directe pertinet ad Judicium Ecclesiæ, ut hic in crimine Simoniæ, sacrilegii, usurarum, hæresis, separationis matrimonii quantum ad thorum propter adulterium.* Causæ meræ temporales sunt Causæ feudales & Causæ sanguinis & hujusmodi. Istas commisit Deus immediate & principaliter Imperatoribus & Regibus. De quibus nec Papa nec alii Prælati debuerunt se intromittere in Ecclesia primitiva, licet modo consuetudine de causis personalibus quibusdam & temporalibus ad utrumque Judicem recurratur. Sed de Feudalibus in propriis feudis, non nisi ad Imperatorem, Reges & alios Principes. Unde in illa Decretali dicit Papa, *non negamus quin Imperator præcellat in temporalibus.* Et ut Extravag. de *Judi-*

Judiciis Cap. *Novit.* dicit Papa. *Non putes quod Jurisdictionem Illustris Regis Francorum perturbare aut minuere intendamus.* Et infra *Qui filii sunt legitimi*, dicit Papa, *ad Regem non ad Ecclesiam pertinet de talibus possessionibus judicare.* Item *Extravag. de Foro competenti. Cap. Vero.* super verbo *De Feudis*, dicit Innocentius, quilibet Dominus quantumcumque villicus vel etiam rusticus super feudalibus rebus Jurisdictionem habet.

Causæ mixtæ, sunt causæ temporales quæ connexionem quandam habent cum spiritualibus: sicut causa Feudalis quæ de se temporalis est, connexionem potest habere cum juramento vel pacto: sicut patet de dissensione mota inter Reges Franciæ & Angliæ super Comitatu Pictaviensi: Papa quia non poterat directe cognoscere de Causa feudali. Indirecte ratione Juramenti vel pacti intromisit se de illa, Extravagant. *de Judiciis.* Cap. *Novit.* Ubi dicit Hostiensis in Glossa super verbo *de Feudo*; *non intendimus cognoscere de Feudo, sed tantum ratione pacti, inducendo illum ad pœnitentiam, quia illam non non potest agere nisi satisfaciat.* Item, Causa dotis per se temporalis est, & ad secularem Judicem pertinet si de ipsa tantum agatur: tamen quando Judex Ecclesiasticus cognoscit principaliter de matrimonio, si incidat causa dotis tanquam accessoria, cognoscet de illa sicut de principali cui est annexa, ut patet *Extravag. de Donatio. inter virum & uxorem, Cap. De Prudentia.* Ubi dicit Glossa. *Quia si non est matrimonium neque dos, & ita dos accedet matrimonio: Ideo qui cognoscit de principali, debet cognoscere de accessorio*, ut habetur *Extravag. de Officio delegati, Cap. Præterea, & Cap. Prudentiam.* Sic etiam de hæreditate cognoscit Judex Ecclesiasticus ratione incidentis. *Extravag. Qui filii sunt legitimi, Cap. Per tuas. & Cap. Ex tenore.* Alii sunt plures casus speciales, in quibus Judex Ecclesiasticus cognoscit de temporalibus, quos enumerat Hostiensis. In Glossa *Extravag. de Judiciis. Cap. Novit.* Si ergo regulariter verum est quod de causis mere spiritualibus solus Papa & alii Judices Ecclesiastici habent cognoscere: de causis vero mere temporalibus habent cognoscere Reges, Imperatores & alii Judices seculares. Et sic Rex Franciæ secundum Jura non subest summo Pontifici, nec ei tenetur respondere de Feudo sui: potest tamen ei subjacere incidenter & casualiter ratione connexionis alicujus causæ spiritualis, sicut habetur *Extravag. de Judiciis. Cap. Novit. & Extravag. Qui filii sunt legitimi. Cap. Per venerabilem.* Et sic declaratus est quartus Articulus.

ARTICULUS V.

QUinto declarandum est a quo Rex Franciæ teneat Regnum suum: utrum scilicet ab homine, vel a Deo? & si a Deo, utrum necesse habeat recognoscere ab ejus Vicario? Ad quod breviter respondemus, quod a solo Deo immediate tenet & possidet Regnum suum. Ita quod non ab homine quoquam. A Vicario vero Christi non tenet, nec in quantum homo, nec in quantum Christi Vicarius. Ad hoc sumamus testimonium Summi Pontificis ipsius, videlicet Innocentii, *Extravag. Qui filii sunt legitimi. Cap. Per venerabilem.* de Rege Francorum sic loquens: *Rex Francorum superiorem in temporalibus minime recognoscit.* Si dicas quia etsi non recognoscit, tamen de Jure deberet. Respondemus per interemptionem, quod non debet. Quia Franci nulli unquam fuerunt subditi, nec Imperatori, nec aliis, sicut probatur ex antiquis historiis, quod post eversionem Trojæ duodecim millia Trojanorum ad partes Pannoniæ pervenerunt, ubi civitatem Sicambriam construentes manserunt ibi usque ad tempora Valentiniani Imperatoris, semper infesti Romano Imperio. Expulsi vero inde ab Imperatore prædicto, pro eo quod tributa Romanis solvere recusarent juxta morem aliarum nationum, habitaverunt juxta Rhenum in confinio Germaniæ & Alemaniæ. Quos cum multis præliis post idem Valentinianus sibi subjugare tentasset, nec aliquatenus potuisset, appellavit eos Francos. Et Galliam habitantes, denique Franciam appellantes, nec Romanis nec aliis quibuscumque voluerunt esse subditi. Et dato, quod non credo, quod Imperatori vel Papæ fuerunt aliquando subditi, tamen ex tanto tempore præscripserunt, & Regnum pacifice possederunt, quod amplius non tenentur alicui respondere. Nam etiam contra Romanam Ecclesiam currit præscriptio centenaria, sicut habetur Extravag. *de Præscriptionibus.* Cap. *Ad audientiam.* in fine: ubi sic dicitur, *Contra quam*, videlicet Romanam Ecclesiam, *non nisi centenaria præscriptio currit.* Præterea, justæ possessionis & liberæ, justum titulum, sine recognitione cujuscumque Superioris, quo dictus Rex nunc possidet regnum suum, & Prædecessores ejus hactenus possederunt, ac ejus Successores, omnipotentis Dei dextera protegente, perpetuo possidebunt, rationibus irrefragabilibus declaramus.

Primo quidem possessionis hujus justum titulum probat Unctio sacra, missa divinitùs, qua Reges Franciæ semper opportunis temporibus inunguntur. Nonne regnum evidenter approbatur a Deo, cujus

Reges

Reges divino munere consecrantur. Secundo hoc idem probant aperta miracula universo orbi manifeste notoria, & notorie manifesta: unde Dominus Rex de Justo titulo suo respondens, dicere potest illud in Euangelio quod respondit Dominus Jesus contra calumniam Judæorum, *si mihi non vultis credere, operibus credite.* Sicut enim hæreditario Jure succedit Patri Filius in adeptionem Regni, sic quasi hæreditario Jure succedendi facultatem Deo tradente, alter alteri in simili potestate miracula faciendi. Tertio hoc idem probat bonitas vitæ, claritas famæ, devotionis favor, synceritas fidei Christianæ, quæ semper in Regibus nostris viguit in Regno, præ cæteris Regnis & Regibus hujus mundi. Diximus ergo quod Dominus noster Rex eodem titulo & eodem Jure tenet Regnum suum & possidet quo tenuit B. Ludovicus, quem diebus nostris Sedes Apostolica, sanctitatis ejus eminentia promerente, & miraculorum evidentia proclamante, Catalogo Sanctorum adscripsit. Ad quæstionem ergo propositam pro nobis respondeat B. Ludovicus, respondeat ejus vita sanctissima quam crebra miracula protestantur.

Contra præmissa arguitur multipliciter, tam per rationes, quam per Jura Canonica & civilia, probando quod Rex Franciæ, & universaliter omnes Reges subsint, & subesse debeant Summo Pontifici, quantum ad temporalia. Primo sic secundum beatum Dionysium, *Militans Ecclesia exemplata est ad similitudinem Ecclesiæ triumphantis, secundum illud Exodi: Inspice & fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est.* Sed in Ecclesia triumphante, non est nisi unus Solus & Summus Hierarcha cui omnes tam Angeli quam homines in omnibus obediunt & intendunt: Ergo & in Ecclesia militante est unus solus & summus Hierarcha, cui omnes tam clerici quam laici, & tam Reges quam alii tenentur in omnibus spiritualibus & temporalibus obedire. Non est aliquis talis nisi Papa: Ergo &c. Respondeo, non est simile de Hierarchia cælesti & terrena. Quia ille per suam summam perfectionem sufficit per seipsum regere totam illam Monarchiam Cælestem: terrenus autem Hierarcha propter suam imperfectionem non sufficit per seipsum similiter regere spiritualia & temporalia. Et propter hoc dicit Apostolus, *nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus:* Et B. Ambrosius ait, *Qui terrenis occupantur scire divina non possunt.* Quia videlicet terrena distrahunt, & a cælestium contemplatione perturbant. Et hoc probat B. Bernardus satis diffuse ad Eugenium Papam. Cum igitur Summum Pontificem oporteat & expediat summe & præcipue spiritualibus & divinis intendere, non debet ejus animus incur-

vari ad temporale regimen. Unde, licet Moyſes Veteris Legis lator fuerit elevatiſſimus in contemplatione, & divinis colloquiis aſſuetus (loquebatur ei enim Deus *facie ad faciem*, ſicut dicitur Numerorum 12.) tamen non fuit ſufficiens terrenis intendere, ſicut dixit Jethro ei: *Stulto labore conſumeris, ultra vires tuas eſt hoc negotium: eſto populo in his quæ ad Deum pertinent &c.* Propter quod Moyſes conſtituit Principes qui temporales cauſas populi judicarent. Præterea in illa Hierarchia cæleſti eſt ſumma pax, concordia, & uniformitas voluntatum: hic autem ſunt diſſentiones, lites & diſcordiæ innumerabiles, & fraudes. Ideo non eſt ſimile de hac & illa.

Item, ſecundum eundem Dionyſium, *omnis multitudo ad unitatem reducitur, ſicut ab unitate procedit.* Ergo omnis multitudo Prælatorum & Principum reducitur ad unum Summum qui eſt ſuper omnes Principes & Prælatos. Nullus autem talis eſt niſi Papa. Ergo &c. Reſpondeo, dicendum quod ſicut temporalia ſunt propter corpus, & corpus propter animam: ita quod hæc omnia inferiora debent ad bonum animæ ordinari. Aliter non recte uteretur homo temporalibus, ſed potius abuteretur. Sic Poteſtas temporalis quodammodo ordinatur ad ſpiritualem, in iis quæ ad ipſam ſpiritualitatem pertinent, id eſt, in ſpiritualibus. Per iſtum modum multitudo reducitur.

Item, ſicut unus ſolus eſt Creator ſpiritualium omnium & temporalium, a quo omnia procedunt in eſſe, & unus finis ad quem omnia, ſicut ad finem & terminum, ordinantur: ſicut ipſe teſtatur 1. Apocalypſ. *Ego ſum Alpha & Omega*, id eſt, principium & finis: Sic unus eſt omnium gubernator & rector, tam temporalium quam ſpiritualium. Sed in hoc eſt differentia, quia in creatione non poteſt Deus habere Vicarium: Ergo unus ſolus ſub Deo Vicarius ejus eſt, habens regimen totius univerſi, & quantum ad temporalia, & quantum ad ſpiritualia. Reſpondeo, quando arguitur, unus eſt Creator & unus Rector: dicendum eſt quod non eſt ſimile: quia creatio eſt productio de non eſſe in eſſe, ubi eſt infinita diſtantia. Ideo in creatione requiritur infinita potentia, quæ non poteſt eſſe niſi in uno ſolo Principio ſimpliciſſimo & potentiſſimo: In gubernatione autem iſtorum inferiorum non requiritur infinita potentia, quia omnia ſunt finita tam ſpiritualia quam temporalia, tamen valde ſunt inter ſe diverſa, ideo diververſis egent Rectoribus, ſpirituali videlicet & terreno. Vel ſi dicas quod nec creatio nec ultima perfectio, quæ eſt per beatitudinem, ſunt communicabiles creaturæ, quia una requirit & infinitam potentiam
ad

ad infinitam bonitatem: gubernatio autem fuit communicabilis. Ideo licet ipse Deus sit principalis Rector totius universi, tamen & per Angelos suos sanctos, & per homines voluit mundum regi.

Item, in uno corpore naturali tantum est unum Caput, in quo vigent omnes sensus, & omnia membra regit. Ergo in corpore mystico, quod est Ecclesia unum tantum erit Caput, alioqui monstruosum esset Ecclesiæ habere duo capita, sicut esset monstruosum in uno corpore naturali. Respondeo dicendum quod totius Ecclesiæ unum solum est Caput, sicut una est columba Ecclesia: *Sed istud Caput dicimus esse* CHRISTUM, qui solus est proprie Caput Ecclesiæ, a quo derivata est utraque Potestas, sicut ait Apostolus Ephesiorum. 2. *Omnia subjecit sub pedibus ejus & ipsum* dedit Caput super omnem Ecclesiam, quod est corpus ipsius. *Potest nihilominus Papa dici Caput Ecclesiæ, in quantum est principalis inter ministros Ecclesiæ, a quo dependet tota spiritualis ordinatio, sicut a Christi Vicario spirituali principali: sicut etiam Romana Ecclesia dicitur Caput omnium Ecclesiarum:* NON EST AUTEM CAPUT *quantum ad regimen temporalium*: SED QUILIBET REX EST *Caput Regni, & Imperator Imperii.*

Item, secundum Philosophum, in omni genere rerum ordinatarum ad invicem, ponere est unum minimum ad quod omnia reducuntur: Ergo in Ecclesia, quæ maxime debet esse ordinata, oportet esse unum ad quem & per quem omnes alii ordinentur: hoc autem non potest esse nisi Papa, &c. Respondeo, illud a quo Universitas tota fidelium reducitur reductione ultima & consummatione finali est solus Deus, qui solus potest omnem appetitum humanum terminare, desiderium adimplere: Tamen sub Deo illud minimum unitum & indivisible, ad quod omnes fideles aspiciunt & intendunt: quantum ad ea quæ sunt necessaria vel expedientia ad salutem, est Papa, videlicet quantum ad spiritualia, sicut Rex in regno quantum ad temporalia.

Item, ab exordio mundi humanum genus non nisi unum Rectorem Principem legitur habuisse, sicut patet in diversis statibus hujus mundi. Ergo & modo debet esse unus Princeps Rector. Probatur assumptum: In statu innocentiæ Adam præfuit omnibus, & semper præfuisset si semper in innocentia perstitisset. Post peccatum vero in statu Legis Naturæ, Noe super omnes suo tempore præfuit: postmodum vero Abraham, Isaac, & Jacob, quilibet eorum præfuit populo Dei: fueruntque Sacerdotes hostias Domino offerentes. Similiter Melchisedech Sacerdos Hierosolymis fuit Dei summi. Unde & ipse Christus dicitur

citur esse Sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Cui etiam Abraham Patriarcha decimas obtulit, sicut dicitur Genesis 14. in signum quod ei suberat quantum ad temporalia. Similiter in Lege Mosaica, Moyses habuit utramque potestatem, & utroque gladio usus est. Ergo multo fortius in statu Legis Euangelicæ debet esse unus utramque potestatem habens.

Respondeo quod istud Argumentum multas habet particulas ad sui declarationem: Et propter hoc ad singulas illarum opus speciales responsiones dare. Ad primum, quod dicitur de Adam in statu innocentiæ, dicendum est quod in illo statu omnia fuissent communia, nec quisquam dixisset aliquid esse suum: fuisset etiam ibi pax & concordia, non fraus, furtum, rapina, injuria vel iniquitas. Et ideo cum omnes homines essent spirituales, nulla fuisset ibi Jurisdictio temporalis. Post peccatum non fuit ita, nec modo est, cum multæ fiant injustitiæ, fraudes & iniquitates abundent: Ideo nec est simile. Ibi tamen fuisset spiritualis Prælatio, sicut est in Angelis sanctis, & fuissent ibi gradus diversi honoris secundum gradus & ordinationem dignitatis. Quia quantum alius alios præcelluisset in bonitate & sapientia, tantum fuisset amplius honoratus.

Ad id quod arguebatur de Noe, dicendum quod Deus ante Diluvium fecit omnia per seipsum; & homini quem formaverat præcepta dedit, & transgredienti pœnam imposuit, sicut legimus Genes. 2. & 3. Postmodum alios delinquentes per seipsum punivit, usque ad tempus Noe, sicut patet in Chaim & Lamech. In tempore vero Noe & citra cœpit creaturas suas regere per Ministros, quorum primus fuit Noe, quod ex eo apparet, quia Deus commisit ei gubernationem Archæ, per quam figuratur Ecclesia, sicut dicit B. Petrus. Deus etiam Noe & filiis ejus legem Rectoriam commisit Genesis 9. In hac autem Rectoria successerunt Patriarchæ, Duces & Judices, Reges & Sacerdotes, & alii qui pro tempore fuerunt Rectores populi Judæorum. Tamen usque ad Moysem proprie loquendo non fuit verum Sacerdotium. Nam Aaron jussu divino primus Summus Sacerdos legitur institutus, & alii inferiores Sacerdotes institutione divina instituti sunt in Lege Moysi: Noe vero, Abraham, Isaac & Jacob sacerdotes non fuerunt, licet jubente Deo altaria construxisse & Deo hostias obtulisse legantur. Abel, Gedeon, Jephte, Manue, David & multi alii hostias obtulerunt, de quibus constat quod sacerdotes non fuerint. De Moyse nulli est dubium, quin frequenter hostias Deo immolarit, tamen sacerdos non fuit. Nec obstat quod in

Psal. dicitur *Moyses & Aaron in sacerdotibus ejus.* Dicit enim ibi Glossa: *Moyses in sacerdotibus Dei nuncupatur, non quia sacerdos fuerit, sed quia vota sua Deo obtulit, & pro populo supplicavit.* Igitur Noe, Abraham, Isaac & Jacob etsi dicantur in populo Dei Principes extitisse, non tamen fuerunt Sacerdotes, ut dictum est, nisi valde large dicatur Sacerdos quicumque offert Deo sacrificium laudis & spiritus contribulati in altari cordis sui, quod faciunt omnes Justi. Isto modo cunctis fidelibus dicit B Petrus *vos estis genus electum regale Sacerdotium:* Omnes enim Christi fideles in quantum sunt unum cum Christo Capite, qui est Summus Sacerdos, sunt in ipso Reges & Sacerdotes

Quod autem dicitur de Melchisedech, quod videlicet fuit Rex & Sacerdos; dico quod verum est sicut Sacra Scriptura testatur: non tamen fuit Monarcha totius mundi, sed solum Rex Salem. Hunc autem præmisit Deus ad præfigurandum Christum non solum quantum ad utramque dignitatem, Sacerdotalem & Regiam, sed etiam quantum ad alia multa, sicut ostendit Apostolus Hebræorum quarto: quia videlicet interpretatur Rex Justitiæ & Rex Pacis Describitur etiam sine Patre, sine Matre, sine genealogia, neque initium neque finem vitæ habens, præfigurans Christum, qui est Rex regum, & per quem Reges regnant: Cui dicitur in Psalmo, *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Isti autem Melchisedech dedit Abraham decimas, non necessitate censionis, sed ex donatione propriæ voluntatis, cum in nullo legatur fuisse subjectus. Sed forte illuminatus a Deo adorabat Christum quem intelligebat præfigurari per illum.

Ad illud quod arguebatur de Moyse quod utramque Jurisdictionem habuit, & utroque gladio usus est, dicendum quod vere fuit populi Dux & Princeps, sed non fuit Sacerdos, ut dictum est. Nam antequam vellet a Deo recipere Principatum, adjunctus est ei Aaron in solatium & juvamen, Exodi 4. qui postmodum ex præcepto Dei institutus est Summus Sacerdos: unde habuerunt discreta Officia & distinctas ad invicem Potestates, ita quod unus non usurpabat Officium alterius. Quia vero carnalis erat populus Judæorum, carnalibus utens sacrificiis, & non nisi carnalia seu temporalia sapiebat; ideo Principatus temporalis superior Sacerdotio videbatur. Unde Aaron obediebat Moysi, & Moyses ipsum in subsidium accersebat. Sed in populo Christiano qui Legem non carnaliter sed spiritualiter intelligit, Potestas Spiritualis debet judicari dignior & sublimior temporali.

Item, Christus qui est caput Ecclesiæ de Tribu Sacerdotali & Regia fuit ortus utramque Dignitatem in se uniens. Ergo ejus Vicarius utramque Dignitatem habebit: Ita quod omnes Reges erunt ei subjecti sicut omnes Pontifices. Item, Christus utraque Potestate usus est: Temporali quando vendentes & ementes ejecit de templo Joannis 20. Spirituali seu Pontificali quando semetipsum obtulit hostiam Deo, sicut ait Apostolus Hebræor. 2. *Christus assistens Pontifex*, &c. Ergo & Vicarius ejus utraque Potestate fungetur. Respondeo dicendum, quod Christus ex utraque Tribu nasci voluit quia hæreditario Jure Rex erat & Sacerdos, & ab ipso tanquam a Capite derivanda erat utraque Potestas. Sed ea quæ sunt unita in Capite non est necesse unita esse in membris: Imo potius ea quæ sunt unita in Capite, & in membris distinguuntur: & perfectiones omnes quæ similiter sunt a Deo, imo sunt idem, Deus per creaturas singulas distribuit, & participantur ab eis particulariter, & in diversis diversimode distinguit. Ad id quod dicebatur quod Christus utraque Potestate usus est, dicendum, quod ideo hoc fuit, ut ipso facto ostenderet, quod utraque Potestas ab eodem fonte procedit: vel aliter dici potest, quod Sacerdotale quidem officium voluit exercere, & Sacerdotalem instituere dignitatem, sed Temporali usus non est: quia illa ejectio vendentium & ementium in templo magis fuit Sacerdotalis officii quam Regalis, ad purgandum scilicet templum a negotiatione rerum venalium, ut dictum est. Unde quando quærebatur a populo ut facerent eum Regem, fugiens, Regale fastigium recusavit: ut aperte monstraret exemplo, quod ejus Vicarius & omnes Successores ejus, simili modo contemnerent. Non ergo voluit eos Reges esse, nec sibi dignitatem Regiam vendicare. Hoc autem prætermittendum non est: cum Christus in infantia sua se Regem credi, & ut Regem quæri permisit, sicut habetur Matthæi 2. *ubi est qui natus est Rex Judæorum*? & a regibus adorari, ibidem: & proximus passioni, voluit Rex proclamari, & sicut vere Rex a populis honorari: & denique pendens in cruce Regiæ dignitatis titulo insigniri, Jesus Nazarenus Rex Judæorum. Volens quidem credi Rex esse secundum fidei veritatem, licet uti noluerit, sed oblatam renuerit Regiam dignitatem. Unde & in passione sua interrogatus specialiter a Pilato si esset Rex: sed tamen ut patenter ostenderet quod etiam in articulo mortis uti tali Potestate nolebat, respondit, *Regnum meum non est de hoc mundo: si de hoc mundo esset regnum meum, ministri utique mei decertarent, ut non traderer Judæis.*

Item, utramque Potestatem videtur Christus commisisse Petro, quan-

do dicit, *Tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Quia sicut in ædificatione materiali est unus lapis primarius & fundamentalis: Sic in Ecclesia debet esse unus Princeps principalis totius Ecclesiæ fundamentum. Respondeo dicendum, quod hæc Petri firmitas super quam fundata erat Ecclesia, non est dominatio temporalis, sed immobilis & inviolabilis stabilitas fidei Christianæ, sicut insinuat Christus dicens: *Ego pro te rogavi Petre ut non deficiat fides tua.* De Potestate enim Temporali nullam fecit mentionem, quando dicit *Tu es Petrus*, sed solum de Potestate Spirituali, quæ solum in ligando & absolvendo a peccatis in foro conscientiæ consistit.

Item, tempore Passionis discipuli Christi duos gladios ostenderunt dicentes *Ecce gladii duo hic*, *&c.* Et respondit. *satis est.* Per quos gladios secundum doctrinam Sanctorum significantur duæ Potestates, quæ sunt in Ecclesia penes Summum Pontificem principaliter residentes: Qua utraque, contra quoscumque quando necessitas imminet potest uti, etiam contra Reges & Imperatores. Ergo &c. RESPONDEO: *Si concedamus duos gladios significare duas in Ecclesia Potestates, dicemus quod revera duæ sunt: sed unam habent terreni Principes, & aliam habet Summus Pontifex: Non enim dicuntur duo gladii fuisse Petro sed unus tantum*, sicut insinuat Dominus dicens ei, *converte gladium tuum in vaginam.* Reprehensus est autem Petrus non quia evaginandus non esset tempore opportuno, quando necessitas imminet: sed quia evaginavit eum modo & tempore non congruo: quia non debet Judex Ecclesiasticus uti eo, nisi cum causa, & multa deliberatione, & in magna necessitate.

Item, quia binarius est numerus infamis, quia principium divisionis: Divisio autem fons & origo dissensionis, & divisio causa confusionis. Ergo si essent in Ecclesia duæ Potestates distinctæ in duas personas, quarum una non penderet ab altera, esset in Ecclesia maxima confusio. Respondeo dicendum, quod binarius sicut secundum unam acceptionem, pro eo quod est principium divisionis, est infamis; sic secundum aliam est numerus sacratus propter duas tabulas decalogi, in quarum prima continentur Præcepta ordinantia ad Deum: in secunda Præcepta ordinantia ad proximum: vel propter duo præcepta charitatis, sicut ait B. Gregorius super illud Lucæ 10. *Misit illos binos ante faciem suam: Duo*, inquit, *sunt præcepta charitatis, Dei videlicet amor, & proximi.* Si autem istæ duæ Potestates essent omnino distinctæ, ita quod

una non dependeret ex altera, iſta diverſitas eſſet occaſio diviſionis: ſed inter eas eſt mutua dependentia: quia Temporalis indiget Spirituali propter animam: Spiritualis vero indiget Temporali propter temporalium rerum uſum: & hoc expreſſe habetur 96 *diſt. Cap. Cum ad verum.*

Item, hoc idem probatur multipliciter per Jura Canonica. Primo ſic: 22 *diſt. Cap. Omnes*, dicitur ſic: *Romanam Eccleſiam ſolus ille fundavit, ſub Petra fidei mox naſcentem erexit, qui B. Petro æternæ vitæ clavigero, terreni ſimul & cæleſtis Imperii Jura commiſit, & illius privilegio fungitur, cujus auctoritate fulcitur. Unde non dubium eſt quod quiſquis cuilibet Eccleſiæ jus ſuum detrahit, injuſtitiam facit: Qui autem Romanæ Eccleſiæ privilegium ab ipſo Summo omnium Eccleſiarum Capite traditum auferre conatur, hic proculdubio in hæreſim labitur, & cum ille vocetur injuſtus, hic dicendus eſt hæreticus.* Reſponſio, *Ubi quæritur de Poteſtate ſummi Pontificis in temporalibus efficax eſt teſtimonium Imperatorum pro Papa: ſed non eſt multum efficax teſtimonium Papæ pro ſeipſo, niſi demum fulciatur ratione vel auctoritate Scripturæ: maxime quando Imperator dicit contrarium*, & etiam alii Summi Pontifices, ſicut eſt in propoſito. Ideo &c. Poteſt tamen verbum prædicti Canonis ſane intelligi pro eo, quod Dominus Petro terreni ſimul & cæleſtis Imperii Jura commiſit, in quantum dedit ei poteſtatem ſolvendi & ligandi in terra, cujus ſententia ligationis ſeu abſolutionis approbatur in cælo. Et ita exponunt Gloſſæ illud verbum ſibi dictum in traditione clavium, *Quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum &c.* Aliter poteſt dici, quod cum ſermones inquirendi ſint ſecundum materiam, ſicut ait Apoſtolus, & intentio in tota illa diſtinctione ſit oſtendere præeminentiam Sedis Apoſtolicæ ad Sedes Patriarchales, quia Sedes Apoſtolica illas & inſtituit & auctoritatem dedit: unde Sedes Patriarchales quicquid Poteſtatis & Auctoritatis habent, dubium non eſt a Sede Apoſtolica emanare. Item, Patriarcha auctoritatem habet limitatam in aliqua mundi parte: Sedes autem Apoſtolica in toto orbe: unde quantum poteſt ſe extendere in longum & latum Temporalis Poteſtas Imperii, tantum ſe extendit amplitudo Spiritualis Poteſtatis, videlicet Apoſtolicæ: Et quicumque iſtud ſingulare privilegium conaretur auferre, aſſerendo, quod Sedes Patriarchales poteſtatem & auctoritatem ſuam a Sede Apoſtolica non haberent & Spiritualem poteſtatem, iſte merito dicendus eſſet hæreticus.

Item, *Extravag. de Electione. Cap Fundamenta*, dicit Bonifacius Papa, *Conſtantinus Imperator quarto die ſui baptiſmatis una cum omnibus Satra-*

pis & universo Senatu, optimatibusque & cuncto populo in personam B. Sylvestri Romanam concedendam urbem relinquens, ab eo & Successoribus ejus per Pragmaticum Statutum disponendam (decernens in ipsa urbe utriusque Potestatis Monarchiam Romanis Pontificibus) declararet: non justum arbitrans, ut ubi Sacerdotii Principatum & Christianæ Religionis Caput Imperator cælestis instituit, illic Imperator terrenus habeat potestatem. Responsio: si ex institutione divina Papa dicit se Dominum omnium temporalium, necessitas est dicere, quod ex donatione Constantini sit Monarcha utriusque Potestatis in urbe. Si dicat, quod hanc Monarchiam Constantinus declaravit, & inde caute dictum est *declararet.* Respondeo quod ex constitutione Divina, Monarchia totius mundi quantum ad utramque Potestatem non fuit concessa Petro nec Successoribus ejus, sicut est superius declaratum: Sed ex dono Constantini potest ibi esse Monarchia, sic intelligendo, quod cum Papa Spiritualem Potestatem haberet in Urbe & Orbe, Constantinus ipse Temporalem illam Potestatem quam habebat in Urbe transtulit in Papam, ut in ipsa Urbe utraque Potestas, quæ in duabus personis erat, esset in solo Papa: *Sicut dicimus quod aliquis Episcopus est Dominus temporalis & spiritualis in sua Civitate: & sic est ibi Monarcha utrumque obtinens Principatum. Sic ergo concedimus quod Papa habet Monarchiam utriusque Potestatis in Urbe non tamen in Orbe.*

Item 96. dist. Cap. *Constantinus*, dicitur, sic: *Constantinus Imperator Coronam & omnem dignitatem in urbe Romana & in Italia, & in partibus Occidentalibus Vicario Apostolico concessit.* Item, Cap. sequenti, unde sumitur quod dictum est in illa Decretali *Fundamenta*, dicitur sic, *Decernentes sancimus ut Principatum teneat Sylvester*, videlicet Papa, & Successores ejus, tam super quatuor Sedes, quam super omnes in universo orbe Dei Ecclesias: Et Pontifex qui per tempora ipsius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ extiterit, Celsior & Princeps *cunctis Sacerdotibus totius mundi existat.* Et infra: Ecce Palatium nostrum & Romanam urbem & omnes Italiæ sive Occidentalium Regionum Provincias Beatissimo Pontifici Sylvestro concedimus atque relinquimus, & ab eo & Successoribus ejus decernimus disponendum. *Itaque Juri Romanæ Ecclesiæ concedimus permanendum.* Et infra, *Quoniam ubi Principatus Sacerdotiis & Christianæ Religionis Caput ab Imperatore nostro Cælesti constitutum est, justum non est ut illic Imperator terrenus habeat*

poteſtatem. Reſponſio: de iſta Donatione Conſtantini dicunt Juriſtæ communiter, quod non valuit multiplici ratione. Primo quidem, quia ideo dicitur Imperator ſemper Auguſtus, quia ejus propoſitum debet eſſe ſemper augere Imperium non minuere: & ideo dicta Donatio non videtur valuiſſe, maxime cum nimis exceſſiva fuerit & immenſa. Secundo, quia Imperator eſt adminiſtrator Imperii & Reipublicæ, ut dicunt Jura. Tertio, quia non potuit præjudicare Succeſſoribus, quando eam revocare poſſent, quia non habet Imperium par in parem. Quarto, quia qua ratione potuit dare unam partem, poſſent Succeſſores ejus aliam partem dare, & detruncaretur Imperium. Hæc habentur in Authentica, *Quo modo oportet Epiſcopos.* in principio Collat. 1. in Gloſſa. Dico quod ſi dicta Donatio valuerit, tamen Eccleſia non fuit in poſſeſſione niſi illius portionis terræ quæ dicitur Patrimonium B. Petri. Item, non potuit valere quantum ad illos qui non erant ſubjecti Imperio: Quia non potuit dare quod ſuum non erat: Franci autem non erant ei ſubjecti ut dictum ſupra: vel dato quod eſſent ſubjecti, quod non concedimus, tamen præſcriptio longiſſimi temporis erit contra Imperatorem & Papam, ſicut dictum eſt ſupra.

Item, Zacharias Papa depoſuit Regem Franciæ, ſicut habetur 15. quæſt. 6. Cap. *Alius.* Ergo &c. Reſpondeo: nuſquam legitur quod Regem Franciæ depoſuerit, ſed deponendum conſuluit, ut dicunt quidam: Interrogatus enim quis potius regnare deberet, an ille qui agebat regni negotia, an ille qui non agebat? Reſpondit, quod primus. Quo facto Rex Childericus depoſitus fuit à Baronibus, & Pipinus ordinatus & inunctus in Regem: vel, ſicut alii dicunt, Rex Childericus non fuit depoſitus, ſed ſponte ingreſſus Monaſterium, Monachicam vitam aſſumpſit: Barones autem Regni ſuper electione Pipini & inſtitutione prædicta hæſitantes, an licitum eis eſſet? conſulunt Papam, quod tamen ſine Papa facere potuiſſent.

Item, *Extravagant. lib. ſexto, de immunit. Eccleſiæ. Cap. primo. Non licet his qui Juriſdictionem obtinent temporalem, vel Juſtitiam exercent, ipſas Eccleſias vel perſonas ad diſtrahendum vel alienandum, aut extra manum ſuam ponendum acquiſita, vel quæ deinceps acquirent, aliquatenus coarctare.* Sed hoc non poſſet Papa ſtatuere niſi Dominus eſſet omnium temporalium: Ergo, &c. Reſponſio, ISTA

CON-

CONSTITUTIO *nova est, nondum à Principibus approbata: quam, ad discussionem cum pervenient, nunquam forsitan approbabunt: quia per istum modum personæ Ecclesiasticæ tantas possessiones acquirere possent, quod in damnum & præjudicium intolerabile Principibus & Reipublicæ proveniret.*

Item, Papa Christi Vicarius, Dei locum tenens in terra dicitur habere plenitudinem Potestatis: Sed non haberet plenitudinem nisi esset Dominus temporalium & spiritualium; ut eo ipso vere dicatur, *Domini est terra & plenitudo ejus orbis terrarum.* Responsio patet per dicta in corpore quæstionis, *Quod Christus triplicem potestatem habens, videlicet corporum, animarum & rerum temporalium; prima usus est, sed non commisit: secunda usus est & commisit: tertia nec uti voluit, nec commisit. Ergo Papa nec super humana corpora, nec super res corporales potestatem habet; sed solummodo ligandi animas & solvendi. Nec quantum ad animas dicendus est habere plenitudinem Potestatis nisi in ligando & solvendo, clave tamen non errante. Non enim potest animas creare, nec in eas gratiam infundere, nec salvare nec damnare,* NEC PECCATA REMITTERE NISI MINISTERIALITER. *Dicitur igitur plenitudinem habere tantum in spiritualibus, & non absolute; sed in comparatione inferiorum Prælatorum, qui ad partem solicitudinis sunt vocati.*

Item, qui potest majus potest & minus: Sed spiritualia sunt temporalibus digniora: Ergo &c. Respondeo, illa major Propositio *Qui potest majus, &c.* veritatem habet in rebus ejusdem generis: ut si potest Rex expugnare civitatem, ergo & castrum: sed non habet veritatem diversorum generum: non sequitur; qui potest generare hominem potest generare muscam. Cum igitur spiritualia & temporalia sint res diversorum generum, non sequitur, quod qui habet potestatem in spiritualibus, habeat eam in temporalibus. Rursus, dicta Propositio non tenet in illis quæ ex sola commissione vel delegatione habentur. Videmus enim quod in Curiis Principum Confessoribus commissa est cura & regimen animarum, & Medicis cura corporum, nec sequitur; Confessor potest majus, id est, in animas, Ergo potest & minus, id est, in corpora: Ergo &c.

Item, primæ Corinthiorum 6. *Nescitis quoniam Angelos judicabimus, quanto magis secularia?* Quasi diceret, si possumus spiritualia judi-

judicare, multo magis ſecularia poſſumus & debemus. Ergo &c. Reſpondeo, nuper converſos ad fidem reprehendit Apoſtolus, quia pro negotiis vel controverſiis quas inter ſe habebant ſuper rebus temporalibus, relictis vel contemptis Judicibus Chriſtianis, remeabant ad Judices infidelium, quaſi non haberent Chriſtianos Judices ſufficientes de hujuſmodi judicare: Ideo ipſos arguendo dicit Apoſtolus, ſi habetis viros ſpirituales induſtrios ſufficientes ad judicandum majora & difficiliora, quanto magis ſufficient judicare minora?

Explicit Quæſtio prædicta edita per bonæ memoriæ Egidium de Roma Ordinis Fratrum Heremitarum ſancti Auguſtini, Sacræ Theologiæ eximium Profeſſorem, ac Archiepiſcopum Bituricenſem, ſecundum quod fertur.

FRATRIS JOANNIS DE PARISIIS DOCTORIS THEOLOGI, *Ordinis Fratrum Prædicatorum Tractatus de Poteſtate Regia & Papali.*

Argumentum Procemii.

Sicut Fides Catholica inter duos errores oppoſitos, ita ſententia vera de Eccleſiaſtica & Politica Poteſtate inter duo extrema contraria verſatur: quorum unum Valdenſes poſt Vigilantium; alterum Herodiani & Phariſæi ſequuntur: Illi quidem Eccleſiaſticos omni bonorum temporalium Dominio privantes, hi vero exiſtimantes eos eſſe veros Dominos temporalium, adeo ut Reges & Principes temporales Eccleſiæ ſubditi ſint in temporalibus. Quæ poſterior ſententia, infideles ab Euangelio amplexando abducit, & Eccleſiaſticos ſeculi negotiis immergit. Auctoris ſententia & proteſtatio, ac ſumma hujus Tractatus redacta ad XXV. *Capita.*

Procemium.

INterdum contingit quod vitare volens aliquem errorum, delabitur in errorem contrarium: ſic enim legimus 16. *quæſt.* 1. nonnullos aſſerentes quod Monachi, quia mundo mortui ſunt, non poſſunt (quia eis repugnat ratione qua Monachi ſunt) pœnitentias dare, & Chriſtianitatem largiri. Quem errorem aliqui vitare volentes, vel forte ipſum prævenientes, dixerunt, quod Monachis debetur ratione qua perfectionis ſtatum elegerunt, confeſſiones audire, abſolvere, ac pœnitentias injungere ſalutares. Inter quos duos errores doctrina ſana mediat,

mediat, ponens quod nec Monachis repugnat, nec debetur ratione Status, sed ipsis convenire potest, si eis a suis Ordinariis committatur, quibus de jure debetur. Sic enim in Libro de duabus naturis & una persona Christi ostenditur, *quod fides medium tenet inter duos errores contrarios Nestorii & Eutychis.* Modo consimili circa Potestatem Ecclesiasticorum Pontificum veritas medium ponit inter duos errores: nam error Waldensium fuit, Successoribus Apostolorum, scilicet Papæ & Prælatis Ecclesiasticis, Dominium in temporalibus repugnare, nec eis licere habere divitias temporales: unde Ecclesiam Dei & Successores Apostolorum & veros Prælatos Ecclesiæ Dei durasse dicunt non nisi usque ad Sylvestrum Papam: a quo, Donatione facta Ecclesiæ per Constantinum Imperatorem, dicunt incœpisse Romanam Ecclesiam, quæ secundum ipsos non est Dei Ecclesia, sed Dei Ecclesiam jam defecisse dicunt, nisi quantum in ipsis est continuata, vel per ipsos reparata. Ad quod inducunt inter cætera illud Matthæi sexto, *Nolite thesaurizare vobis Thesauros in terra:* & illud primæ Timoth. 6. *Habentes alimenta & quibus tegamur his contenti simus:* & illud, *Qui volunt divites fieri, &c.* Et iterum illud Matthæi sexto: *Non potestis Deo servire & mammonæ:* Et ibidem, *Nolite soliciti esse animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini.* Et ibidem, *Respicite volatilia Cœli:* Et illud Matthæi decimo, *Nolite possidere aurum neque argentum, &c.* Et illud Lucæ decimo quarto, *Nisi quis renunciaverit omnibus quæ possidet, &c.* Ex his dicunt Prælatos Ecclesiæ Dei Successores Apostolorum non debere habere Dominium in divitiis temporalibus & terrenis.

Alius vero fuit error Herodis, qui audiens Christum Regem esse natum, credidit ipsum esse Dominum terrenum: ex quo derivari videtur opinio quorumdam Modernorum qui in tantum prædictum errorem Waldensium declinant, quod ad oppositum totaliter deflectunt, ita ut asserant Dominum Papam, in quantum est loco Christi in terris, habere Dominium in temporalibus bonis Principum & Baronum, & Cognitionem seu Jurisdictionem: Dicunt etiam, quod hanc Potestatem in Temporalibus habet Papa excellentius quam Princeps secularis: quia Papa habet eam secundum Primariam institutionem & auctoritatem, & a Deo immediate: Princeps autem habet eam a Deo mediante Papa. Et iterum dicunt quod Papa non habet exequutionem immediatam nisi in aliquibus casibus notatis: Extravag. *Qui filii sunt legitimi, per venerabilem.* Princeps autem habet regulariter im-

mediatam exequutionem: & qui aliter notaverunt loquuti ſunt in favorem Principum quod verum eſt deſerentes: Et ſi Papa dixit ſe aliquando Juriſdictionem temporalem non habere, intelligendum eſt quantum ad regularem & immediatam exequutionem, vel quia vult pacem Principum & Eccleſiæ ſervare: vel ne Prælati ſint nimis proni ad intromittendum ſe de temporalibus bonis, & ſecularibus negotiis. Dicunt amplius, quod aliter ſe habet Papa ad bona temporalia quam Principes & Prælati: quia ſolus Papa eſt verus Dominus temporalium, ita quod poteſt pro libito abſolvere uſurarium a debito uſuræ, & auferre ab aliquo pro libito ſuo, quod alias ſuum eſt, & tenet factum Papæ, licet peccet, nec debeat hoc facere, niſi ex cauſa rationabili, id eſt, pro defenſione Eccleſiæ, & aliis hujuſmodi. Sed Prælati cæteri, & Principes non ſunt Domini, ſed Tutores, Procuratores, & Diſpenſatores.

Hæc autem opinio quantum ad Dominium in rebus temporalibus, non ſolum ex errore Herodis naſcitur, ſed videtur Vigilantii errorem ſequi. Nam hoc tenent omnes & tenendum eſt, quod Domino Papæ non repugnat ratione ſtatus ſui aliquid quod eſt perfectionis Euangelicæ. Conſtat autem, quod ſi Papa ratione ſui Status, in quantum ſcilicet Papa & Chriſti Vicarius, eſt Dominus omnium, abdicatio proprietatis & abjectio Dominii in temporalibus ei repugnat ratione ſui Status, cum oppoſitum ei per ſe conveniat. Paupertas ergo & privatio Dominii in rebus temporalibus, ſive exterioribus, non eſt perfectionis Euangelicæ, ſicut dicebat Vigilantius; de quo dicit Auguſtinus in libro de Agone Chriſtiano, quod ſunt qui quæ ſua ſunt quærunt; quamvis Catholici, aut ex ipſo Chriſti nomine gloriam quærentes hæretici: ex quorum numero olim Vigilantius ſurrexit in Gallia quæ antea errorum monſtris caruerat, paupertati divitum ſtatus æquare præſumens, ſicut olim Jovinianus in Italia matrimonium caſtitati. Videtur etiam hæc opinio aliquid habere de ſupercilio Phariſæorum, qui populum decimas & ſacrificia Deo offerentem non teneri ad cenſum reddendum Cæſari prædicabant, ut ab ipſis ditioribus effectis pinguiores reciperent portiones, ut dicit Hieronymus. Hæc etiam opinio in hoc periculoſa videtur, quod a converſis ad fidem Dominium rerum quas prius habebant transferat ad Summum Pontificem: Ex quo fides ipſis minus redditur gratioſa, & ipſi fidei detrahitur, *cum per eam turbantur Jura conditionis Chriſtianæ*, ut dicit Gloſſa primæ Petri 2. Ex hac etiam opinione timendum eſt, ne

dum

dum in domo Domini sic negotiatio ingrediatur, Jesus iratus, & rigidus, non aliter mundet templum suum, *nisi flagello adhibito, & de spelunca latronum faciat domum orationis, ut dicit Chrysostomus*, super Matthæum.

Inter has autem opiniones tam contrarias, quarum primam erroneam omnes putant, puto ego quod veritas medium ponit, scilicet quod Prælatis Ecclesiæ non repugnat habere Dominium in temporalibus & Jurisdictionem, contra primam opinionem. Nec tamen debetur eis per se ratione sui Status, & ratione quia sunt Vicarii Jesu Christi, & Apostolorum Successores: sed eis possunt convenire talia ex concessione, vel permissione Principum, si ab eis ex aliqua devotione aliquid hujusmodi fuerit collatum, vel si habuerint aliunde. *Protestor autem, quod nihil intendo dicere cum assertione aliqua contra fidem, nec contra bonos mores, vel sanam doctrinam, personæ, vel Status Summi Pontificis reverentiam. Et si aliquid hujusmodi occurrerit inter dicta vel dicenda principaliter, vel incidenter, volo pro non dicto haberi, volens hanc protestationem valere & currere ac si eam specialiter resumerem super quolibet dicendorum.*

In hac autem materia ad declarationem prædictorum sic proceditur.

In Primo Capitulo ostendetur, quid sit Regimen regale, & unde habuerit ortum.

Secundo ostendetur, de Sacerdotio.

Tertio, de Ordine Ministrorum ad unum Summum: & quod non est necesse omnes Principes ad unum reduci, sicut Ministros Ecclesiæ ad unum Supremum.

Quarto, quid sit prius tempore Regnum vel Sacerdotium.

Quinto, quod eorum est prius dignitate.

Sexto, quod Sacerdotium non est prius causalitate: ubi primo declarabitur quomodo Papa se habet ad bona exteriora Ecclesiastica, quo ad Dominium.

Septimo, quo modo se habet ad bona Laicorum.

Octavo, quod Papa non habet Jurisdictionem a Christo in bonis Laicorum, quia Christus eam non habuit.

Nono, ponentur rationes ad contrarium, & solutiones earum.

Decimo, ostendetur dato quod Christus habuerit, eam tamen ipsam Petro non dedit.

Undecimo, ponentur quadraginta duæ rationes dicentium, quod Papa habet Jurisdictionem in bonis temporalibus Laicorum.

Duodecimo, præmittentur aliqua ad ſolutionem prædictorum & ad intelligendum quam auctoritatem habet Papa in temporalibus bonis: & ibi ponentur auctoritates Petro & aliis Apoſtolis commiſſæ a Chriſto.

Decimo tertio, oſtendetur quod ex illis auctoritatibus commiſſis non habent Prælati Eccleſiaſtici Dominium vel Juriſdictionem in temporalibus: nec ob illas Principes eis in temporalibus ſunt ſubjecti.

Decimo quarto, ponentur Reſponſiones ad primum ſenarium rationum præmiſſarum.

Decimo quinto, Reſponſiones ad ſecundum ſenarium.

Decimo ſexto, Reſponſiones ad tertium ſenarium.

Decimo ſeptimo, Reſponſiones ad quartum.

Decimo octavo, Reſponſiones ad quintum.

Decimo nono, Reſponſiones ad ſextum.

Viceſimo, Reſponſiones ad ſeptimum.

Viceſimo primo, habebitur de Donatione Conſtantini, & quid Papa propter eam poſſit.

Viceſimo ſecundo, oſtendetur an licitum ſit de hujuſmodi pertinentibus diſputare, & judicare.

Viceſimo tertio, ponentur Rationes aliquorum quod Papa non poſſit reſignare.

Viceſimo quarto, oſtendetur quod poſſit reſignare.

Viceſimo quinto, ſolventur rationes prædictæ.

CAPUT I.

QUID SIT REGNUM ET UNDE HABUIT ORTUM.

Definitio & inſtitutio Regni ex Iuris Naturalis & Gentium placitis: hominem procreatum eſſe ad Civilem Societatem: de Boni proprii & communis differentia, atque Monarchiæ præſtantia, in qua homines melius finem naturalem conſequi poſſunt: & qua ratione homines ex agreſti vita ad vitam civilem redacti fuerint.

CIrca Primum Caput ſciendum, quod Regnum proprie acceptum ſic poteſt definiri: *Regnum eſt regimen multitudinis perfectæ ad commune bonum ordinatum ab uno.* In qua quidem deſcriptione *regimen* ponitur pro genere, *multitudinis* vero additur ad differentiam regiminis quo quilibet ſeipſum regit; vel naturali inſtinctu, ut in Brutis: vel

vel sua ratione, ut in solitariam vitam ducentibus contingit: *perfectæ* dicitur, ad differentiam multitudinis domesticæ, quæ non est perfecta; quia sibi non sufficit, nisi ad modicum tempus, & non ad totam vitam, sicut Civitas secundum Philosophum primo Politicorum: *Ad commune bonum multitudinis ordinatum*, *ab uno*, ponitur ad differentiam Aristocratiæ, id est Principatus Optimorum, seu Optimatum, ubi pauci dominantur secundum virtutem. Quod regimen vocant aliqui Responsa prudentum vel Senatusconsulta: & ad differentiam Polycratiæ vel Politiæ, ubi populus dominatur, & Plebiscita. Non est enim Rex nisi qui solus dominatur, dicente Domino per Ezechielem Cap. 37. *Servus meus David Rex super omnes erit, & pastor erit unus omnium eorum.* Est autem tale Regnum a Jure Naturali & a Jure Gentium derivatum. Nam cum homo sit animal naturaliter politicum seu civile, ut dicitur in primo Politicorum, quod secundum Philosophum ostenditur ex victu, vestitu, & defensione, in quibus sibi solus non sufficit, ac etiam ex sermone, qui est ad alterum (quæ omnia soli homini debentur) necesse est homini ut in multitudine vivat, & in tali multitudine, quæ sibi sufficiat ad vitam totam: cujusmodi non est communitas domus, vel vici, sed Civitatis, vel Regni: Nam in sola domo vel vico, non inveniuntur omnia ad victum, vestitum, & defensionem necessaria ad totam vitam sicut in Civitate vel Regno. Omnis autem multitudo, quolibet quærente quod suum est, dissipatur, & in diversa dispergitur, nisi ad bonum commune ordinetur per aliquem virum qui curam habeat de bono communi: sicut corpus hominis deflueret, nisi esset aliqua vis communis in corpore, quæ ad bonum commune omnium membrorum intenderet. Unde Salomon Proverbiorum 11. *Ubi non est gubernator, populus corruet.* Hoc autem est necessarium: nam non est idem quod proprium, & quod commune est: per proprium quidem differunt homines: sed per commune uniuntur. Diversorum autem diversæ sunt causæ: & ideo oportet præter id quod movet ad proprium bonum uniuscujusque, esse aliquid quod moveat ad bonum commune multorum.

Est autem utilius regimen multitudinis per unum qui præest secundum virtutem, quam per plures vel per paucos virtuosos: quod patet cum ex potentia, nam in uno Principante plus est virtus unita, ideo fortior quam in pluribus dispersa: tum ex unitate & pace quæ principaliter intendi debent in regimine multitudinis: Nam plures

Principantes non ſervant pacem multitudinis, niſi fuerint uniti & concordes. Si ergo *propter unumquodque tale & illud magis*, ut dicit Philoſophus, unus qui Principatur ſecundum virtutem, magis poterit ſervare pacem quam plures, & non tam de facili poterit turbari pax civium: tum etiam quia Princeps unus intendens bonum commune habet oculum magis ad commune, quam ſi plures dominarentur etiam ſecundum virtutem: quia quanto plures excipiuntur a communitate, tanto reſiduum eſt minus commune: & quanto pauciores tanto reſiduum eſt magis commune. Unde dicit Philoſophus, quod inter principaliter intendentes ſuum bonum proprium, Tyrannus eſt pejor, quia proprium magis intendit & contemnit magis commune: tum quia in naturali regimine videmus totum ad unum reduci, ut in mixto corpore unum elementum dominatur: In humano corpore heterogeneo, unum eſt principale membrum. In toto homine & anima continentur omnia elementa: animalia etiam gregalia, ut apes & grues, quibus naturale eſt in Societate vivere, etiam obediunt naturaliter uni regi.

Ex quibus patet; homini neceſſarium eſſe & utile in multitudine vivere, & maxime in multitudine quæ ſufficere poteſt ad totam vitam ut Civitas, & Regnum & Regio, & præcipue ſub vero Principante propter bonum commune, qui Rex dicitur. Et patet etiam quod hoc regimen derivatur non ſolum a Jure Naturali, ex eo ſcilicet quod homo naturaliter eſt animal civile, vel politicum & ſociale, in tantum, quod ante Belum & Ninum, qui primitus regnaverunt, homines, nec naturaliter, nec ut homines, ſed more beſtiarum ſine regimine vivebant. Ut narrat quoſdam dixiſſe Oroſius primo libro contra Paganos: & Tullius ſimilia dicit in principio veteris Rhetoricæ: & Philoſophus dicit de talibus in Politicis, quod non vivunt ut homines, ſed ut Dii, vel ut beſtiæ. Et cum per verba communia ad vitam communem naturaliter convenientem, ut viſum eſt, a vita beſtiali non poſſent hujuſmodi homines revocari; homines magis ratione utentes eorum compatientes errori, ad vitam communem ſub uno aliquo ordinatam rationibus perſuaſoriis revocare conati ſunt, ut dicit Tullius, & ita revocatos certis legibus ad vivendum communiter ligaverunt: quæ quidem Leges, hic *Jus Gentium* dici poſſunt: & ſic patet, quod hujuſmodi Regimen a Jure Naturali & Gentium derivatur.

CAPUT

CAPUT II.

QUID SIT SACERDOTIUM, ET UNDE HABUIT ORTUM.

Cum homo à Deo procreatus ſit ad vitam æternam, quam viribus & adjumentis naturæ impoſſible eſt conſequi: Deus eam ob rem Ieſum Chriſtum Filium ſuum verum Deum atque hominem miſit in mundum, ut homines ad eum finem deduceret quem viribus naturalibus aſſequi non poterant: qua de cauſa Chriſtus Sacramenta inſtituit, & Sacerdotes tanquam diſpenſatores Sacramentorum miſit. Et de Sacerdotii definitione.

CÆterum eſt conſiderandum, quod homo non ſolum ordinatur ad bonum tale, quod per naturam poteſt acquiri, quod eſt vivere tantum ſecundum virtutem; ſed ulterius ordinatur ad finem ſupernaturalem, quæ eſt vita æterna, ad quam tota hominum multitudo viventium ſecundum virtutem ordinabilis eſt: ſecundum quod patet in Symbolo fidei noſtræ: & ideo oportet unum aliquem eſſe, qui multitudinem fidelium hujuſmodi dirigat ad hunc finem. Et ſi quidem ad hunc finem poſſet homo pervenire per virtutem naturæ humanæ, neceſſarium eſſet, ut ad officium Regis humani pertineret dirigere homines in hunc finem: quia hunc Regem humanum dicimus, cui commiſſa eſt cura Summa Regiminis in rebus humanis. Sed quia vitam æternam non conſequitur homo per virtutem humanam ſed divinam, ſecundum illud Apoſtoli Romanorum 6. *Gratia Dei vita æterna.* Ideo perducere ad iſtum finem non eſt humani regiminis ſed divini. Ad iſtum ergo Regem pertinet hoc regimen, qui non ſolum eſt homo ſed etiam Deus, ſcilicet Jeſus Chriſtus, qui homines filios Dei faciens, introducit in vitam æternam, & ideo regnat ac Rex appellatur, dicente Hieremia *Regnabit Rex & ſapiens erit.* Hoc enim Regnum a Deo Patre eſt ei traditum quod non corrumpetur. Et quia ad regem pertinet removere impedimenta pertingendi ad finem, & conferre remedia & adjutoria perveniendi, ideo Chriſtus ſeipſum offerens Deo Patri in cruce ut Sacerdos ſimul & Sacrificium impedimentum univerſale per mortem ſuam removit, offenſam ſcilicet Dei Patris pro communi peccato generis humani: Unde propter hoc *Sacerdos verus dictus eſt, pro hominibus ex hominibus aſſumptus*, Hebræorum 5.

Verum quia cauſam univerſalem oportet conjungi particularibus effectibus, neceſſe quidem fuit habere remedia per quæ illud beneficium generale nobis aliquo modo conjungeretur. Et illa ſunt Eccle-

siæ Sacramenta, in quibus specialis virtus passionis Christi continetur, sicut virtus agentis in instrumentis, quæ ideo sensibilia esse conveniebat, ut homini provideretur secundum ejus conditionem, quæ est ad spiritualia & intelligibilia capienda deduci per sensibilia, secundum illud Roman. 1. *Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, &c.* Et ut instrumenta ista Verbo incarnato (cujus ut principalis agentis virtutem continet) proportionata essent, dum spiritualem virtutem continent sub sensibilibus signis.

Cæterum, quia Christus præsentiam suam corporalem erat Ecclesiæ subtracturus, necessarium fuit ut alios ministros institueret, qui hujusmodi Sacramenta hominibus ministrarent: qui ideo Sacerdotes dicuntur quasi sacra dantes vel sacri duces vel sacra docentes, qui sunt medii inter Deum & homines. Hos autem ministros ideo oportuit non Angelos esse sed homines spiritualem virtutem sibi collatam habentes, ut dixit Apostolus Hebræorum 5. *Omnis Pontifex ex hominibus & pro hominibus assumptus est, &c.* Et hoc, ut ministri & instrumentum convenirent, in quo est virtus spiritualis sub sensibili elemento, & causæ principali salutis hominum Verbo scilicet incarnato, quod nostram salutem propria virtute & auctoritate operatur in quantum Deus & homo. Ex prædictis potest definiri Sacerdotium in hunc modum: *Sacerdotium est Spiritualis Potestas, ministris Ecclesiæ a Christo collata ad dispensandum fidelibus Sacramenta.*

CAPUT III.

DE ORDINE MINISTRORUM AD UNUM SUMMUM: QUOD NON EST NECESSE OMNES PRINCIPES AD UNUM REDUCI, SICUT MINISTROS ECCLESIÆ AD UNUM SUPREMUM.

Ut fidei & doctrinæ unitas facilius conservaretur, & Schismata vitarentur in Ecclesia, unum Summum Pastorem in Ecclesia constitutum à Christo: quam unitatem confirmat similitudine æqualitatis & paritatis animarum in omnibus hominibus, nec non communitatis bonorum Ecclesiasticorum: quæ communitati, non privatis data sunt: Contra, ex diverso naturali instinctu hominum, diversitate climatum, regionum, nationum; item, quia bona temporalia singulis & privatis propria sunt, non autem communia, demonstrat mundum universum in temporalibus non posse ab unico Rege aut Principe gubernari.

Cæte-

CÆterum quia ſecundum Apoſtolum 2. Corinthior. 13. Hæc Poteſtas data eſt Eccleſiæ ad ædificationem: oportet hanc Poteſtatem tamdiu durare in Eccleſia, quamdiu Eccleſia ædificatione indiget, ſcilicet uſque ad finem mundi. Et ideo ſic fuit data primo Chriſti Diſcipulis, ut per eos derivari poſſet ad alios: inter quos oportuit eſſe aliquos miniſtros ſuperiores & perfectiores, qui hujuſmodi Sacerdotium aliis conferant ordinando, & conſecrando. Et hi ſunt Epiſcopi, Superintendentes, qui licet non excedant ſimplices Sacerdotes quantum ad verum corpus Chriſti conſecrandum: excedunt tamen eis quæ pertinent ad fidem vel fideles: nam Epiſcopi ſunt Sacerdotes magni & perfecti, quia poſſunt alios facere Sacerdotes, quod non poſſunt ſimplices inferiores. Et quicquid arduum circa fidelem populum eſt agendum, Epiſcopis reſervatur, quorum auctoritate etiam Sacerdotes poſſunt id quod agendum illis committitur. Et etiam in his quæ Sacerdotes agunt utuntur rebus ab Epiſcopis conſecratis, ut calice, altari, & palis, ut dicit Dionyſius de Eccleſiaſtica Hierarchia Cap. de Sacerdotalibus perfectionibus. Manifeſtum eſt autem quod licet populi diſtinguantur per diverſas Diœceſes & Civitates in quibus præſunt Epiſcopi diverſi in ſpiritualibus, tamen una eſt omnium fidelium Eccleſia, & unus populus Chriſtianus. Et ideo ſicut in qualibet Diœceſi eſt unus Epiſcopus qui eſt caput Eccleſiæ in illo loco vel populo: ita in tota Eccleſia, & in toto populo Chriſtiano eſt unus Summus Epiſcopus, ſcilicet Romanus, & Petri ſucceſſor: ut ſic Eccleſia militans per ſimilitudinem a triumphante derivetur, ubi unus præſidet toti univerſo. Apocalip. 21. *Ipſi populus ejus erunt, & ipſe Deus cum eis erit eorum Deus*: & Joelis 1. *Congregabuntur filii Juda & filii Iſrael pariter, ut ponant ſibi caput unum*: & Joan. 10. *Fiet unum ovile & unus paſtor*: quod quidem de Chriſto tantum intelligi non poteſt, ſed de aliquo alio miniſtro, qui omnibus præſit loco ejus. Nam poſt corporalem ſubtractionem præſentiæ corporalis Chriſti, contingit interdum circa ea quæ ſunt fidei, quæſtiones moveri, in quibus, propter diverſitatem opinionum vel ſententiarum, divideretur Eccleſia (quæ ad ſui unitatem requirit fidei unitatem) niſi per unius ſententiam Eccleſiæ unitas ſervaretur. Hic autem unus principatum hujuſmodi habens eſt Petrus ſucceſſor Chriſti, non quidem ſynodali ordinatione, ſed ex ore Domini, qui Eccleſiæ ſuæ noluit deficere in neceſſariis ad ſalutem, ipſo dicente Joannis ultimo ante aſcenſionem Petro ſingulariter, *Paſce oves meas*: & Lucæ 22. ante paſſionem, *& tu aliquan-*

quando conversus, confirma fratres tuos. Hunc autem Ordinem ad unum Supremum magis invenimus inter Ministros Ecclesiæ esse necessarium quam inter Principes seculares: quia Ministri Ecclesiæ divino cultui specialiter deputati sunt a Domino, tanquam populus peculiaris: & ideo ex divino Jure est ordo omnium Ministrorum ad unum.

Non sic autem fideles laici se habent ex Jure divino quod subsint in temporalibus uni Monarchæ Supremo: sed ex naturali instinctu, qui ex Deo est, habent ut civiliter, & in communitate vivant: & per consequens, ut ad bene vivendum in communi, Rectores eligant diversos quidem secundum diversitatem Communitatum. Quod autem omnes ad unum Monarcham Supremum in temporalibus reducantur, nec ex inclinatione naturali, nec ex Jure divino habent, neque eis convenit ita sicut Ministris Ecclesiæ. Primo quidem, quia sicut in hominibus est diversitas magna ex parte corporum, non autem ex parte animarum, cum omnes sint in eodem gradu essentiali constitutæ, propter unitatem speciei humanæ, ita secularis Potestas plus habet diversitatis secundum secularitatem & complexionum diversitatem quam spiritualis, quæ minus in talibus variatur. Unde non oportet esse tantam diversitatem in una sicut in alia. Secundo, quia non tantum sufficit unus ad dominandum toti mundo in temporalibus, sicut unus sufficit in spiritualibus: quia Potestas spiritualis censuram suam transmittere potest faciliter ad omnes tam propinquos quam remotos, non sic autem Potestas secularis gladium suum cum effectu transmittere tam faciliter potest ad remotos, cum sit manualis: Facilius enim est verbum extendere quam manum: Tertio, quia temporalia laicorum non sunt Communitatis, ut infra patebit, sed quilibet est dominus suæ rei, tanquam per suam industriam acquisitæ, & ideo temporalia laicorum non indigent Dispensatore communi, cum quilibet suæ rei sit ad libitum dispensator. Sed bona Ecclesiastica Communitati sunt collata, ut videbitur infra: & ideo oportet quod sit aliquis unus qui Communitati præsit, ut bonorum omnium communis Dispensator & dispositor: non ergo tantum convenit quod præsit aliquis unus toti mundo in temporalibus laicorum, sicut in bonis temporalibus clericorum. Quarto, quia omnes fideles conveniunt in una fide Catholica, sine qua non est salus: contingit autem interdum quæstiones oriri de pertinentibus ad fidem in diversis Regionibus & Regnis: Et ideo, ne propter diversitatem controversiarum unitas fidei & Ecclesiasticarum personarum disrumpatur, necesse est, ut dictum est, unum esse Superio-

rem

rem in ſpiritualibus, per cujus ſententiam controverſiæ hujuſmodi terminentur. Non ſic autem neceſſe eſt fideles omnes convenire in aliqua Politia communi: ſed poſſunt ſecundum Diverſitatem climatum, linguarum, & regionum, & conditionum hominum, eſſe diverſi modi vivendi, & diverſæ Politiæ: quia quod eſt virtuoſum in una gente, non eſt virtuoſum in alia: quod etiam de ſingulis perſonis dicit Philoſophus in tertio Ethicorum, quod alteri eſt magnum: ſicut quod eſt magnum Magiſtro Gymnaſiorum, ſcilicet comedere decem minas ſeu uncias, eſſet parum Miloni Crotoniati, qui uno ictu de pugno taurum victimam faciebat, ut dicit commentator. Non ergo neceſſe eſt mundum regi per unum in temporalibus, ſicut neceſſe eſt per unum regi in ſpiritualibus: Nec iſta regula trahitur a Jure naturali vel divino. Unde Philoſophus in Politicis oſtendit Dominationem naturalem eſſe in ſingulis Civitatibus vel Regionibus, non autem Imperii vel Monarchiæ. Auguſtinus etiam quarto de Civitate Dei dicit, quod melius, etiam magis pacifice regebatur Reſpublica cum uniuſcujuſque regimen ſuæ patriæ terminis finiebatur: & ibidem dicit, quod cauſa dilatationis Imperii Romani fuit ambitio propria dominandi, vel provocans alienas injurias: & ſic non ita trahitur regula a Jure naturali, quod in temporalibus ſit unus Manarcha, ſicut in ſpiritualibus. Nec tamen huic obviat *quod 7. quæſt. 1. in Apibus*, ubi dicitur, *quod unus debet præeſſe & non plures:* quia ibi loquitur de una Republica ubi non expedit plures ex indiſtincto dominari, ſicut oſtendit de Remo & Romulo, qui ſimul & indiſtincte dominabantur, & ideo unus in alium fratricidium commiſit: ſimiliter idem oſtenditur ibidem per alia exempla.

CAPUT IV.

QUOD SIT PRIUS TEMPORE REGNUM VEL SACERDOTIUM.

Regnum multo prius extitiſſe quam verum & perfectum Sacerdotium, quod ſolummodo a Chriſto originem habuit: tamen Sacerdotium figurativum ſimul tempore cum Regno fuiſſe.

NUnc videndum eſt quod prius fuerit tempore Regnum vel Sacerdotium: Ad quod ſciendum, quod de Regno loquendo proprie prout nominant regimen, non ſolum domus vel vici, vel civitates, ſed Provinciæ in quibus invenitur maxime ſufficientia eorum

quæ pertinent ad totam vitam, prius fuit tempore Regnum Sacerdotio, loquendo de Sacerdotio proprie. Nam ut ait Auguſt. 16. de Civitate Dei Cap.17. primum Regnorum fuit Regnum Aſſyriorum, quod longe ante datam Legem incœpit: quia in Aſſyria primo regnavit Belus ſcilicet ſexaginta quinque annis: quo defuncto filius ejus Ninus Regnum amplians per totam Aſiam majorem, excepta India, regnavit quinquaginta quinque annis, quadraginta tres annos habens in Regno quando natus eſt Abraham, anno qui erat circiter ante Urbem conditam milleſimo ducenteſimo. Simul vero cum iſto Regno incœpit Regnum Sicyoniorum in Græcia, quod in ſui principio non fuit tantum, cujus Rex primus fuit Ægyaleus, cujus filius fuit Europs. Eodem tempore invenitur de Deum verum colentibus Rex Salem, quem Hebræi dicunt Sem filium Noe, & dicunt eum vixiſſe uſque ad Iſaac. His autem temporibus, jam dudum ante veris Regibus exiſtentibus, nondum erat verum Sacerdotium, nec fuit uſque ad Mediatorem Dei & hominum Jeſum Chriſtum. Quod ex hoc patet, nam apud Gentiles, ſi qui Sacerdotes dicebantur, non erant veri Sacerdotes, quia nec vera ſacrificia offerebant, nec vero Deo; ſed æſtimato: Deuteronomii 32. *Immolaverunt dæmoniis & non Deo.* Si vero, aliqui Levitici generis ſub Lege in Dei populo dicebantur Sacerdotes, non erant veri Sacerdotes, ſed figura verorum Sacerdotum, & eorum ſacrificium tantummodo figurale erat, & Sacramenta eorum non erant vera ſed figurativa, quia peccatum non mundabant, nec cælum aperiebant, ſed ſacrificabant, mundando quaſdam irregularitates, *& aperiendo templum manufactum, per quod, ſecundum Apoſtolum ad Hebræos, apertio Templi non manufacti per Jeſum Chriſtum figurabatur*: nec promittebant ſpiritualia niſi ſub ſpecie temporalium, ſecundum quod dicit Apoſtolus Hebræorum 10. *Umbram habet lex futurorum bonorum.* Quod autem ante Legem invenitur Melchiſedech Sacerdos Dei Summi, ejus Sacerdotium licet perfectius & præſtantius eſſet Sacerdotio Levitico, tamen ſolum fuit figurale & non verum. Erat enim perfectius, quia Chriſti repræſentabat Sacerdotium, quantum ad illud in quo excellebat Sacerdotium Chriſti ſupra Sacerdotium Aaron: & Sacerdotium Aaron in ſignificando deficiebat a Sacerdotio Chriſti; ſcilicet quantum ad perpetuitatem: quia non legitur in Scriptura Melchiſedech habere initium vel finem, ſicut nec Chriſtus habuit: Et quantum ad multa alia quæ ponit Apoſtolus Hebræorum 5. Sed tamen tantum erat figurale, & non verum, ſicut nec Sacerdotium Leviticum. Accipiendo ergo ve-

rum Sacerdotium, non fuit Sacerdotium usque ad Mediatorem Dei, & hominum Christum Jesum, cujus Sacerdotii participes nos effecit.

Cum ergo ab Abraham, ante cujus nativitatem fuerunt Reges Assyriorum, Sicyoniorum, Ægyptiorum & alii quidam, fluxerint usque ad Christum, secundum Methodium, quatuor millia annorum vel circiter, secundum alios: manifestum est ante verum Sacerdotium, Regnum per durationem temporis fuisse: & Reges veri erant, quorum Officium est ad vitæ humanæ civilis necessitatem. Erant enim veri Reges, licet tamen illi qui ungebantur in populo Dei Christum figurarent: Et tamen concedendum est, quod si Sacerdotium acciperetur large & impropric, prout legalis Sacerdos vel quilibet alius figuralis vel æstimativus Sacerdos dicebatur, concurrit simul & incœpit Sacerdotium cum Regno. Nam de numero Deum colentium Melchisedech simul fuit Rex Salem, & Sacerdos Dei Summi: & ab ipso, secundum Hebræos & Magistrum Historiarum, per primogenitos continuatum est Sacerdotium usque ad Aaron. Iste autem Melchisedech, secundum Hebræos, genuit Arphaxat duobus annis post Diluvium, & fluxerunt a Diluvio usque ad septuagesimum annum vitæ Abrahæ quando prima promissio ei facta est, ut habetur Genesis 12. secundum planum textum literæ 340. vel secundum alios 430. Apud alios vero, imo simpliciter, primum Regnum omnium fuit Assyriorum ut supra dictum est: cujus primus Rex fuit Belus. Ninus autem filius ejus ei succedens in Regno, patre defuncto idolum fecit nominatum Bel: a quo denominata sunt idola cæterarum Provinciarum, ut Beelphegor, Beelsebub & alia hujusmodi: instituitque Sacerdotes sive flamines per quos Sacrificia ei offerebantur. Ex quibus satis patet Regnum consurrexisse cum Sacerdotio sic accepto vel æstimato figurali: diu tamen Regnum præcessisse Sacerdotium verum.

CAPUT V.

QUID SIT PRIUS DIGNITATE REGNUM VEL SACERDOTIUM.

Sacerdotalis Potestas a Christo instituta major & dignior est Potestate Politica, non tamen quod hæc ab illa, velut effectus a causa, oriatur, sicut etiam aurum non est causa efficiens plumbi, quod antecellit præstantia: nam utraque instituta est immediate a Deo, sicut Potestas Patris Familias & Magistri militum, (forte legendum Prætoris & Magistri militum) instituta est a Republica: quæ præstantia, inde provenit, quod spiritualia tantum temporalia superent.

perent quantum anima dignitate supra corpus excellit. Verumtamen Potestas Politica major est Sacerdotali Potestate in temporalibus, quæ nullo Iure a Potestate Sacerdotali dependent: utraque enim est immediate instituta a Deo. Cur inter Ethnicos sicut & inter Iudæos Sacerdotium subesset Regi, & Principi Politico.

EX prædictis patere potest de facili, quid sit prius dignitate, Regnum vel Sacerdotium. Nam quod posterius est tempore, solet esse prius dignitate, ut perfectum imperfecto, & finis eo quod est ad finem. Et ideo dicimus Potestatem Sacerdotalem majorem esse Potestate Regali, & ipsam præcellere dignitate: quia hoc semper reperimus, quod illud ad quod pertinet ultimus finis, perfectius est & melius; & dirigit illud ad quod pertinet interior & propinquior finis. Regnum vero ad hoc ordinatum est, ut multitudo congregata vivat secundum virtutem, ut supra dictum est. Et cum hoc ulterius Sacerdotium ordinatur ad altiorem finem qui est Dei fruitio: cujus directionis cura credita est Christo, cujus vicarii & ministri sunt Sacerdotes: & ideo dignior est Potestas Sacerdotalis Regali Potestate. Et hoc conceditur communiter 96. *dist. Cap. Duo quippe sunt:* ubi sic dicitur: *Quanto est pretiosius aurum plumbo, tanto Regia Potestate Ordo Sacerdotalis est altior. Et Extravag. de majoritate & obedientia Capite, Solitæ,* dicitur, *Quod Spiritualia præferuntur temporalibus, sicut Sol Lunæ, &c.* Et Hugo de Sancto Victore lib. secundo de Sacramentis, parte secunda, Capitulo quarto sic ait, *Quantum vita spiritualis dignior est quam terrena, & spiritus quam corpus, tanto spiritualis Potestas secularem seu terrenam Potestatem honore & dignitate præcellit.* Et Bernardus ad Eugenium Papam libro primo: *Quænam tibi major videtur dignitas & Potestas, dimittendi peccata, an prædia dividendi? Sed non est comparatio:* quasi dicat major est Potestas spiritualis, ergo eam dignitate præcellit.

Nec tamen si Principe major est Sacerdos dignitate, & simpliciter oportet quod eo sit major in omnibus. Non enim sic se habet Potestas secularis minor ad Potestatem spiritualem majorem, quod ex ea oriatur vel derivetur, sicut se habet Potestas Proconsulis ad Imperatorem, qui eo major est in omnibus, quia Potestas sua ab eo derivatur: sed se habet sicut Potestas Patrisfamilias ad Potestatem Magistri militum, quarum una non derivatur ab alia, sed ambæ a quadam Superiori Potestate. Et ideo Potestas secularis in aliquo major est Potestate spirituali, scilicet in temporalibus: nec quo ad ista est ei subjecta in aliquo, quia ab illa non oritur: sed ambæ oriuntur ab una Suprema Potestate, scilicet divina immediate: propter quod inferior non est subjecta

jecta superiori in omnibus, sed in his solum in quibus Suprema subjecit eam majori. Quis enim diceret, quod quia Doctor Literarum, vel Instructor morum ordinat omnes de domo ad nobiliorem finem, scilicet ad cognitionem veritatis, ideo & Medicus qui respicit inferiorem finem, scilicet corporum sanitatem, sit ei subjectus in suis medicinalibus propinandis: hoc enim non oportet, cum Paterfamilias, qui utrumque in domo constituit, eum quo ad hoc non supposuerit ei.

Est ergo Sacerdos in spiritualibus major Principe, & e converso in temporalibus Princeps major Sacerdote, licet simpliciter Sacerdos major sit quantum spirituale majus est temporali. Et hoc etiam ostendunt exempla prædictarum auctoritatum. Nam licet aurum sit preciosius plumbo, tamen plumbum non est ex auro causaliter. Hoc etiam expresse dicitur 2. *quæst.* 7. *Nos si incompetenter.* Est tamen considerandum, quod illud quod dictum est intelligamus de vero Sacerdotio Christi. Nam Sacerdotium Gentilium & totus divinus cultus eorum, erat propter temporalia bona quæ ordinantur ad bonum commune multitudinis, cujus cura Regi incumbit: & ideo Sacerdotes Gentilium Regibus subdebantur, & majus erat Sacerdotio Regnum, sicut Superior est Potestas cui incumbit cura de communi bono, quam Potestas cui solum incumbit cura de particulari. Similiter in Veteri Lege Sacerdotium sola bona temporalia immediate promittebat, licet non a dæmonibus, sed a vero Deo populo exhibenda. Ideo etiam in Veteri Lege Sacerdotium indignius erat Potestate Regia, & ei subjectum: quia per Sacerdotem non dirigebatur Rex ad aliquid altius bono multitudinis cujus cura Regi incumbebat: e converso autem est in Nova Lege. Est igitur considerandum quod mirabiliter ex Divina providentia factum est, ut in urbe Romana, quam Deus præviderat fore principalem Christiani Sacerdotii sedem, iste mos paulatim inolesceret, ut Civitatis Rectores, etsi non ex debito Justitiæ, cum simpliciter essent majores Sacerdotibus, tamen in signum excellentiæ Summi Sacerdotii, cui amplior reverentia exhibenda erat, Sacerdotibus plus quam in cæteris locis, voluntarie subderentur: dicente Valerio, *Omnia post religionem ponenda semper nostra Civitas duxit, etiam in quibus Summæ Majestatis conspici decus voluit. Qua propter non dubitaverunt sacris Imperia servire: ita se humanarum rerum futura Regimen æstimantia si divinæ potentiæ bene atque constanter fuissent famulata.* Quod quia etiam futurum erat ut in Francia plurimum vigeret Religio Sacerdotii Christiani, divinitus est provisum, ut etiam apud Gallos Gentiles Sacerdotes, quos

quos Druydes nominabant, totum Gallicum Bellum definirent, ut ſcripſit Julius Cæſar in libro de Bello Gallico. Eſt igitur Chriſti Sacerdotium dignius Regia Poteſtate.

CAPUT VI.

QUOD SACERDOTIUM NON EST PRIUS REGNO CAUSALITATE: ET QUO MODO SE HABET PAPA AD EXTERIORA BONA ECCLESIASTICA QUO AD DOMINIUM.

Bona Eccleſiaſtica toti Eccleſiæ non Romano Pontifici aut Prælatis legata fuerunt: & idcirco Communitas Eccleſiæ verum habet Dominium & Proprietatem in illa: perſonæ autem ſingulares jus habent petendi neceſſaria ad decentiam ſui Status de bonis Eccleſiæ: quorum diſpenſatio Prælatis & Papæ proportionatim credita eſt: qui niſi fideliter ea diſpenſent tenentur ad reſtitutionem: & ſi illis abutantur, nec moniti ceſſent, abdicari & deponi poſſunt.

SEd quia aliqui præeminentiam Sacerdotii ſuper Regiam Poteſtatem vel dignitatem in tantum extollere volunt, ut dicant Sacerdotium prius non ſolum dignitate ut dictum eſt, ſed etiam cauſalitate, & Poteſtatem ſecularem in Sacerdotali contineri, & ab ea inſtitui, reſtat oſtendendum quo modo Papa qui ſupremum locum tenet inter Chriſti Sacerdotes, habeat vel non habeat Poteſtatem. Ubi primo oſtendam, quo modo ſe habeat Summus Pontifex ad bona exteriora quo ad Dominium in rebus. Secundo, dato quod non ſit verus Dominus exteriorum bonorum, ſed Diſpenſator ſimpliciter: vel in caſu; an ſaltem habeat radicalem aut primariam auctoritatem, vel ut Superior, vel ut Juriſdictionem exercens.

Circa primum, videndum eſt primo, quo modo ſe habeat ad bona temporalia Eccleſiaſticarum perſonarum ut Eccleſiaſticæ ſunt. Ad quod ſciendum, quod bona Eccleſiaſtica, ut Eccleſiaſtica, ſunt conceſſa Communitatibus Eccleſiarum, ſeu ipſis Eccleſiis, & non perſonæ ſingulari: & ideo in bonis Eccleſiaſticis nulla perſona ſingularis habet Proprietatem & Dominium, ſed ſola Communitas: ut Eccleſia Carnotenſis vel alia hujuſmodi habet Dominium & proprietatem in ipſis bonis ut ſibi propriis. Perſona autem ſingularis, non ut ſingularis, ſed ut pars & membrum Communitatis, habet in ipſis jus petendi & utendi ad ſuam ſuſten-

ſuſtentationem ſecundum exigentiam & decentiam perſonæ ſuæ & ſtatus: in quo tamen eſt differentia: quia eſt aliquod membrum ſimplex quod eſt principale, & Caput totius Communitatis ut Epiſcopus: nam non eſſet Congregatio una nec ordinata, niſi eſſet unum Caput & membrum principale: & illud non ſolum habet uſum in bonis Communitatis ſecundum exigentiam ſui ſtatus modo prædicto; ſed habet adminiſtrationem & diſpenſationem generalem omnium bonorum Communitatis, approprians cuilibet quod ei debetur ſecundum debitam Juſtitiæ proportionem, diſpenſans etiam pro communi bono Collegii bona fide, ut ſibi videtur expedire, & iſte eſt Epiſcopus in qualibet Eccleſia Cathedrali. Verum quia non ſolum quælibet Congregatio Eccleſiaſticorum virorum eſt una in ſpirituali unitate, imo omnes Eccleſiaſticæ Congregationes habent quandam generalem unitatem in quantum ſunt una Eccleſia, habens connexionem ad unum principale membrum, cui incumbit Eccleſiæ cura generalis, ſcilicet Dominum Papam; ideo ipſe tanquam Supremum Caput & principale membrum Univerſalis Eccleſiæ eſt Generalis Diſpenſator omnium generaliter bonorum Eccleſiaſticorum ſpiritualium, & temporalium. Non quidem quod ſit Dominus eorum, ſed ſola Communitas univerſalis Eccleſiæ eſt Domina, & proprietaria illorum bonorum generaliter: & ſingulæ Communitates Eccleſiæ Dominium habent in bonis ſibi competentibus ſimiliter: Perſonæ vero ſingulares qualitercumque acceptæ, Dominium non habent: licet principalia membra diſpoſitionem habeant non ſolum reſpectu inferiorum, ſed etiam quantum faciunt fructus ſuos pinguiores ex ſervitio ſuo ſecundum exigentiam perſonæ vel ſtatus: vel forſan aliquid eis ultra appropriatur ab Univerſali Diſpenſatore ſic ordinante, & decernente bona fide, prout Jura a Papatu condita diſtinguunt bona Eccleſiaſtica quadrifariam 12. *quæſt.* 2. *Cap.* 26. Ex his apparet quod non verum dicunt, qui dicunt quod nulla perſona ſingularis alia a Papa nec Collegium aliquod vel Communitas habet Jus & Dominium in bonis Eccleſiæ, ſed ſolus Dominus Papa, qui non ſolum eſt Adminiſtrator & Diſpenſator Univerſalis, ſed verus Dominus & proprietarius bonorum Eccleſiæ: & de eis ordinare & ea diſtrahere poteſt prout vult, & tenet factum ſuum licet peccet, niſi faciat ex cauſa rationabili: & cæteri Prælati, vel etiam Principes & Communitates non habent Dominium, ſed ſolum ſunt talium bonorum procuratores, tutores, & diſpenſatores. Hoc autem patet eſſe falſum ex prædictis, cum dictum ſit quod Papa non ſit Dominus Ec-

Ecclesiasticorum bonorum generaliter sicut nec Prælati inferiores bonorum sui Collegii: sed Papa est Dispositor & Dispensator Universalis bonorum Ecclesiasticorum, etiam amplius facit fructus suos de bonis communibus pinguiores secundum exigentiam sui status quam Prælati inferiores, qui vocati sunt in partem solicitudinis, non in plenitudinem Potestatis. Unde Augustinus ad Bonifacium de Prælatis loquens, omnes generaliter includens, dicit, *Si privatim possidemus quod nobis sufficiat, non illa nostra sunt, sed illorum quorum procurationem gerimus: non ergo proprietatem nobis usurpatione damnabili vendicemus.* Et Apostolus primæ ad Corinth. 4. non excludens Petrum seu Papam, *Sic nos existimet homo ut Ministros Christi & Dispensatores mysteriorum Dei.* Et Bernardus loquens de bonis temporalibus, dicit ad Eugenium Papam lib. secundo. *Esto ut alia quacumque ratione hoc tibi vendices, non tamen Apostolico Jure: nec enim tibi ille dare quod non habuit potuit: argentum & aurum, inquit, non est mihi: quod habuit hoc dedit, scilicet solicitudinem super Ecclesias: nunquid dominationem? Audi ipsum, Non dominantes, ait, in clero, sed forma facti gregis.* Hæc Bernardus. Quod etiam ex hoc evidens est, quia Clericis, ut Clerici sunt, & Monachis, ut Monachi sunt, non repugnat habere Dominium bonorum exteriorum saltem in communi, quia ex voto non sunt incapaces Dominii in proprio & in communi, sicut aliqui religiosi. Cum ergo Fundatores Ecclesiarum intenderunt Dominium & proprietatem bonorum quæ dabant transferre primo & directe in Communitatem Collegii scilicet talis Ecclesiæ ad usum Deo servientium, & non in Dominum Papam, manifestum est, quod Communitas ipsa habet immediatum & verum Dominium in bonis ipsis, & non Papa vel Prælatus aliquis inferior. Aliter enim quo ad talia bona exteriora, non differret modus vivendi Clericorum & Monachorum, a modo vivendi Fratrum Minorum, qui ex voto sunt incapaces Dominii aliquorum bonorum in proprio & in communi. Habent enim tantummodo usum facti, ut dicit Nicolaus Papa IV. Et ne bona eis collata, quæ ex eo quod conferuntur personis Ecclesiasticis, sunt facta Ecclesiastica, sint vaga & incerta, Dominus Papa suscepit in se & in Ecclesia Jus & Dominium eorum. Sed quæro per quem potest hoc Dominium Papa suscipere, cum non habeat Potestatem in temporalibus, nec bona Ecclesiæ sua sunt, sed Communitatis? Absit autem quod quo ad bona exteriora, non aliter se habeant Clerici seculares quam alii Religiosi: cum etiam dicat Papa Nicolaus in eadem Decretali, *quod Monachus*

Mo-

Monasterio & servus Domino acquirit Jus & Dominium in re aliqua. Non ergo solus Papa Dominus est, imo nec Dominus, sed Dispensator Generalis, & Episcopus vel Abbas Dispensator specialis & immediatus. Communitas autem Dominium totum habet in bonis Ecclesiasticis. Amplius, non potest dici quod Papa Jus & Dominium in talibus bonis habeat, ut est persona privata, sed ut est persona publica, & Vicarius Christi, cujus sunt omnia talia bona, ut Domini principalis: & proprie ut ejus Vicarii Generalis. Hoc enim dicere non valet, quia Christus secundum quod Deus, est Dominus non solum bonorum Ecclesiasticorum, sed etiam omnium aliorum: ut autem homo non habet communitatem & conversationem cum iis qui sunt in Ecclesia: Nec illi qui conferunt bona Ecclesiæ intendunt Jus & Dominium transferre in Christum, sive secundum quod Deus, quia sic omnia sua sunt, sive secundum quod homo, quia illis nunc non indiget: sed in Ministros Christi, *& ideo talia bona sunt solum Ecclesiæ, quantum ad proprietatem, sed Prælatorum quantum ad dispensationem ut dictum est.* Ex quo etiam patet quod Papa non potest ad libitum detrahere seu distrahere bona Ecclesiarum, ita quod quicquid ordinet de ipsis teneat. Hoc enim verum esset si esset Dominus: sed cum sit Dispensator bonorum Communitatis, in quo requiritur bona fides, non habet collativam Potestatem super ipsis bonis, nisi ad necessitatem vel utilitatem Ecclesiæ communis. Unde Apostolus 2. Corinthiorum 13. *Agam secundum Potestatem quam Dominus dedit mihi in ædificationem, & non in destructionem*: propter quod si aliter pro libito distrahat Papa, & non bona fide, de Jure non tenet: & non solum tenetur ad pœnitentiam de peccato, (quasi propter abusum rei non suæ, quia infideliter agit) sed etiam ad restitutionem, si aliunde de patrimonio proprio haberet vel aliquid acquireret, cum sit rei non suæ defraudator. Et sicut Monasterium posset agere ad depositionem Abbatis, vel Ecclesia particularis ad depositionem Episcopi, si appareret quod dissiparet bona Monasterii vel Ecclesiæ, & quod infideliter non pro bono communi, sed privato ea distraheret: ita si appareret quod Papa bona Ecclesiarum infideliter distraheret seu detraheret, scilicet non ad bonum commune cui semper intendere tenetur, cum sit Summus Episcopus, deponi posset, si admonitus non corrigeretur *dist.* 40 *Can. Si Papa.* Ubi dicitur *cunctos judicaturus a nemine judicandus est, nisi deprehendatur a fide devius:* ubi dicit Glossa, *Quod si deprehendatur in quocumque alio vitio, & admonitus non corrigatur, sed scandalizet Ec-*

clesiam, idem posset fieri. Sed forte secundum alios hoc fieri posset per solum Concilium Generale, argumentum *a 21. dist. Can. Nunc autem.* Et si quidem sciat Papa, aliquos viros Ecclesiasticos vel seculares contra se sic ob indebitam dispensationem clamantes, eo modo quo possunt & debent, non potest eos de Jure amovere vel deponere ab eis quæ ipsorum qualitercumque sunt, cum ad hoc non habeat auctoritatem a Deo. Et si dicatur quod sic dicentes os ponunt in cœlum & injuriam faciunt summo sanctissimo Patri nostro, qui voluntatem suam prædicant sic esse inordinatam, cum præsupponi debeat voluntatem tanti Patris non contrariam esse Juri, ut scilicet sine causa rationabili vellet auferre alicui quod suum est, cum aliter non possit de Jure: siquidem Deus non vult auferre vel auferri ab aliquo quod ei dedit, nisi culpa exigente: nam ut dicitur Romanorum 11. *sine pœnitentia sunt dona Dei*: propter peccata enim hominum dixit *pœnitet me fecisse hominem*: propter peccatum etiam Ægyptiorum vasa eorum spolia fecit Hebræorum: nihil enim vult auferre vel auferri a viro justo. Unde Job. 36. *Judicium pauperibus tribuit, & non aufert a Justo oculos suos, & Reges in solio suo collocat in perpetuum.* Et ideo cum Deus dederit Petro vel Papæ dispensationem exequendam bona fide, sic contra Dei voluntatem expressam non potest Papa de Jure pro libito, non interveniente culpa manifesta, auferre jus administrationis quod aliquis recepit debite, & rite habet. Hæc ergo Potestas est quam habet Papa in bonis Ecclesiasticis.

CAPUT VII.

QUO MODO PAPA SE HABEAT AD BONA LAICORUM.

Cum bona Laicorum privatis hominibus propria sint, eaque suo labore & industria sibi compararint, Papa nullum jus Dominii habet in illa, sed tantum in extrema necessitate, in qua omnia sunt communia, potest declarare Laicos teneri bona sua pro communi salute impendere: Princeps autem tanquam Iudex & vindex injuriarum mensuram dat accipiendi & impendendi illa bona secundum justam proportionem.

EX prædictis patet satis quo modo Papa se habeat ad bona Laicorum, quia multo minus habet Dominium in bonis exterioribus Laicorum quam Clericorum: imo nec in illis est Dispensator, nisi forte in ultima necessitate Ecclesiæ, in qua etiam necessitate non est Dispen-

ſpenſator ſed Juris declarator. Ad quod declarandum, conſiderandum eſt, quod exteriora bona Laicorum non ſunt collata Communitati, ſicut bona Eccleſiaſtica: ſed ſunt acquiſita a ſingulis perſonis arte, labore, & induſtria propria. Et perſonæ ſingulares ut ſingulares ſunt, habent in ipſis Jus & Poteſtatem & verum Dominium: & poteſt quilibet de ſuo ordinare, diſponere, diſpenſare, retinere, alienare pro libito ſine alterius injuria, cum ſit Dominus: & ideo talia bona non habent ordinem nec connexionem inter ſe, nec ad unum commune Caput quod habeat ea diſponere & diſpenſare: cum quilibet rei ſuæ ſit ordinator pro libito. Et ideo nec Princeps nec Papa habent Dominium vel diſpenſationem in talibus: verum quia ob talia bona contingit interdum pacem communem turbari, dum aliquis quod eſt alterius uſurpat, quia etiam homines interdum quæ ſua ſunt nimis amantes, ea non communicant prout communi neceſſitati vel utilitati Patriæ expedit: ideo poſitus eſt Princeps a populo, qui in talibus præeſt ut Index decernens juſtum & injuſtum, & ut vindex injuriarum, & ut menſuram det in accipiendo bona a ſingulis ſecundum juſtam proportionem pro neceſſitate vel utilitate communi. Papa vero quia eſt Supremum Caput non ſolum Clericorum, ſed & generaliter omnium fidelium, ut fideles ſunt, tanquam Generalis informator fidei & morum in caſu ſummæ neceſſitatis fidei & morum, in quo caſu omnia bona fidelium ſunt communia & communicanda, etiam calices Eccleſiarum: habet bona exteriora fidelium diſpenſare, & exponenda decernere, prout expedit neceſſitati Communis fidei, quæ alias ſubverteretur propter irruptionem paganorum aut aliquid hujuſmodi: & poſſet eſſe tanta neceſſitas & tam evidens, quod poſſet exigere decimas vel decimatas portiones a ſingulis fidelibus, ſecundum tamen debitam proportionem, ne aliqui ſine ratione plus debito gravarentur quam alii ad ſubveniendum communi neceſſitati fidei: & talis Papæ ordinatio non eſt niſi Juris declaratio. Et poſſet etiam rebelles & contradictores per Cenſuram Eccleſiaſticam compellere: & per talem etiam modum, ſi in Parochia aliqua eſſent de novo fideles multiplicati in tantum, quod Curato parochiali non poſſent ſufficere antiqui redditus ad quos fideles parochiæ tenebantur, eo quod ad curam Parochiæ oporteret Sacerdotem de novo multos tenere Capellanos Coadjutores, Papa poſſet ordinare, quod fideles illius Parochiæ de bonis ſuis ſuperadderent uſque ad debitam ſufficientiam: in quo caſu talis ordinatio eſſet juris declaratio. Extra vero caſus hujus neceſſitatis pro communi bono ſpi-

ſpirituali non habet Papa diſpoſitionem bonorum Laicorum, ſed quilibet diſponit de ſuo prout vult: & Princeps in caſu neceſſitatis pro Communi bono temporali: in caſibus vero non neceſſitatis, ſed alicujus utilitatis ſpecialis, vel ubi non conſtat quod conferant bona exteriora Laicorum tali utilitati vel neceſſitati, non habet Papa compellere quemquam: ſed ſuper hoc poſſet dare indulgentias pro auxilio ferendo fidelibus, & non eſt aliud ei collatum, prout puto.

CAPUT VIII.

QUOD PAPA NON HABET JURISDICTIONEM A CHRISTO IN BONIS TEMPORALIBUS LAICORUM, ET ETIAM QUOD CHRISTUS NON HABUIT EAM.

De duplici Dominio nimirum Iuriſdictonis & proprietatis, quorum hoc ſingularibus & privatis hominibus, illud ſolis Regibus, & Principibus politicis competit. Chriſtum tribus modis poſſe conſiderari & Regem appellari, primum ut Deus, ſecundo ut Chriſtus Mediator hominum per ſuam paſſionem: & quonam ſenſu omnes Chriſtiani a Scriptura Reges, & Sacerdotes nuncupentur: tertio ut purus homo, & quod ratione hujus Regni, nullum Dominium Iuriſdictionis aut proprietatis habet in temporalibus: ex quo etiam ſequitur Papam aut Eccleſiam nihil Dominii in bona temporalia obtinere.

ET quia non eſt idem habere proprietatem & Dominium in bonis exterioribus, & habere Juriſdictionem, id eſt jus decernendi quid ſit juſtum vel injuſtum in ipſis, ſicut habent Principes Poteſtatem judicandi & diſcernendi in bonis ſubditorum, licet non habeant Dominium in re ipſa: ideo nunc reſtat videndum utrum Papa a Chriſto habeat in exterioribus bonis Juriſdictionem & Poteſtatem hujuſmodi, ut aliqui dicunt. Et ad oſtendendum quod non habeat eam a Chriſto: primo oſtendetur, quod Chriſtus ut homo eam non habuit: ſecundo oſtendetur, quod dato quod Chriſtus ut homo eam habuerit, tamen Petro eam non commiſit.

Ad primum ergo intelligendum, ſciendum eſt, quod Chriſtus tripliciter poteſt intelligi Rex eſſe, uno modo ſecundum quod Deus eſt, & unus cum Patre, & ſic fuit verus Rex non ſolum hominum, ſed etiam omnium Creaturarum quia ei omnes ſubditæ ſunt: Eccleſiaſtici primo, *Unus eſt Creator omnium altiſſimus omnipotens Rex*: & hoc Re-

Regnum seu hanc Potestatem non contulit alicui Creaturæ: non enim commisit Petro quod esset Creator. Alio modo potest considerari ut homo Deus, & sic etiam dicitur Rex hominum in quantum per ea quæ in carne egit, nos perduxit ad participationem Regni, non quidem mundi, sed altioris, scilicet cœli: & sic non solum Sacerdos, sed & Rex vocatus est Hieremiæ 23. *Regnabit Rex & sapiens erit:* & sic ab eo regale Sacerdotium derivatum est, secundum illud primæ Petri 2. *Vos estis genus electum, regale Sacerdotium:* & quod amplius est, omnes fideles, in quantum sunt membra ejus, sunt quasi unum cum Capite Christo per fidem, & charitatem, regesque & Sacerdotes dicuntur, ut innuit Glossa ibidem, & Apocalyp. 1. dicitur, *fecisti nos Deo nostro Regnum, & Sacerdotes in Sanguine tuo*, id est, per fidem passionis tuæ: in tantum autem amplius alii Ministri Ecclesiastici hujus regalis Sacerdotii participes efficiuntur, in quantum non solum sacrificium spiritus contribulati & contriti intus Deo offerunt, sicut omnes Justi: sed etiam exteriora sacrificia, in quibus divina virtus spirituali modo continetur, offerunt pro se & pro populo, ut dictum est supra. Cæteros etiam ad participationem cælestis Regni dirigunt, non solum ex charitatis zelo, sed ex officio docendo & Sacramenta ministrando. Si vero tertio modo accipiatur quod Christus Rex fuit secundum quod homo, Rex dico temporalis Regni, quasi Dominium directum vel utile habens in temporalibus bonis, omnino falsum est. Accepit enim voluntariam paupertatem sicut & cæteros defectus nostros inculpabiles, ut dicit Joannes Damascenus lib. 3. unde Joannis 18. *Regnum meum non est de hoc mundo.* August. in Glossa, quasi diceret, *Audite Gentes & Judæi non impedio Dominationem vestram in hoc mundo.* Chrysostomus etiam dicit, *quoniam non tenet Regnum ut hic Reges terræ tenent, sed tantum desuper habens Principatum, qui non est humanus, sed multo major & clarior.* Et Leo PP. in Sermone de Epiphania: *Magi humano sensu æstimaverunt Regem in civitate Regia esse quærendum: sed qui formam servi acceperat, & qui ministrare venerat non ministrari, præelegit sibi Bethleem nativitati & Hierosolymam passioni:* unde deceptus Herodes, audiens Regem natum timuit ne Rex esset qui sibi Dominium temporalium usurparet. Ideo Chrysostomus super Matthæum: *non consideravit Herodes perfectam Prophetiam Micheæ: & tu Bethleem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda: ex te enim exibit Dux qui regat populum meum Israel, & dies ejus a diebus seculi.* Si ergo integram prophetiam protulisset, considerans quod non

erat

erat Rex terrenus cujus dies a diebus seculi erant in tantum errorem non exarsisset. Propter quod etiam Eusebius dicit, quod erant Herodiani dicentes Christum, quia unctum, esse Regem temporalium bonorum: at non est unctus materiali unctione, ut Reges hujus mundi, sed spirituali, scilicet *Oleo Lætitiæ præ participibus suis:* & ideo non est Rex hujus seculi, sed illius Regni, de quo dicit Propheta Daniel: *Potestas ejus Potestas æterna, &c. & Regnum ejus quod non corrumpetur.* Et Lucæ 2. *Regni ejus non est finis.* Amplius Lucæ 12. ait quidam de turba, *Magister dic fratri meo ut dividat mecum hæreditatem. At ille dicit ei, homo quis me constituit judicem aut divisorem super vos? videte & cavete ab omni avaritia.* Et sic patet per sanctos expositores quod Christus non habuit in temporalibus Potestatem vel auctoritatem vel Judicium, sed dare voluit, & dare habuit virtutis documentum. Unde Bernardus dictam auctoritatem exponens ad Eugenium lib. 1. de Consideratione. *Non monstrabunt*, inquit, *ubi aliquando quispiam Apostolorum Judex sederit hominum, aut divisor terminorum, aut distributor terrarum: stetisse denique lego Apostolos Judicandos, sedisse Judicantes non lego: erit illud non fuit.* Et infra ostendit qualem Potestatem habuit Christus in terris, dicens, *ut sciatis*, inquit, *quia Filius hominis habet Potestatem in terra dimittendi peccata, &c.* Amplius super illud Matthæi 22. *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari & quæ Dei Deo*, Hieronymus dicit, *quod solvit tributum pro se & Petro, & ideo reddidit quæ Dei sunt, Patris faciens voluntatem.* Et Hilarius ibidem dicit: *divitias nostras dare Cæsari, Deo autem conscientiæ puritatem vel innocentiam servare jussit.* Sed si dicatur quod solvere non tenebatur, sed solvit, vitare volens scandalum, sicut dicitur de didrachmate censũs Matthæi 17. evasio non valet. Illud enim didrachma non solvebatur Cæsari sed templo a primogenitis Israel, propter mortem primogenitorum Ægypti. Et quia putabant Jesum esse primogenitum Joseph, & Petrum videbant principalem & quasi primum inter Apostolos & Christi discipulos, ideo ab utroque didrachma petebant. Sed nec Christus tenebatur, cum non esset filius Joseph: nec Petrus, cum non esset patris sui primogenitus. Ex eo etiam quod principalis discipulus illud didrachma solvit solum propter vitandum scandalum: secus autem est de tributo solvendo Cæsari, quod Christus toties solvi jussit. Urbanus autem Papa adducit istam auctoritatem de didrachmate invento in ore piscis, ad ostendendum quod omnes Clerici & Ecclesiæ tenentur solvere tributum Imperatori de exteriori-

bus

bus bonis 23. *quæst. Tributum.* Ex quibus patet quod cum Chriſtus, ut homo, non habuerit Dominium in temporalibus bonis, quod Sacerdos quicumque, ut Chriſti Vicarius, non habet in eis Poteſtatem a Chriſto, cum eis non contulerit, quod ipſe non habuit in ſe ipſo, dicente in Joanne, *Amen amen dico vobis, non eſt ſervus major Domino ſuo, neque Apoſtolus major eo qui miſit illum.* Et Matthæi 10. dicitur, *Non eſt Diſcipulus ſuper Magiſtrum, neque ſervus ſupra Dominum.*

CAPUT IX.

RATIONES AD CONTRARIUM, QUOD CHRISTUS HABUIT JURISDICTIONEM IN BONIS LAICORUM, ET SOLUTIONES EARUM.

Chriſtum quædam geſſiſſe tanquam Auctoritatem atque Imperium ſupremum habens ratione divinitatis: quædam vero ut Sacerdos eſt: porro Regnum, quod dicitur habere in terris, eſſe intelligendum ſpiritualiter, quatenus regnat per fidem in animis hominum, eorumque intellectum captivat in obſequium fidei; non autem quod ſibi aliquod Imperium in poſſeſſiones terrenas mortalium vendicet.

SUnt autem forſan contrarium dicentes, ex hoc ſumentes argumentum, quod Matthæi 21. legitur ipſum cum funiculo ejeciſſe vendentes & ementes de templo: hoc enim non feciſſet niſi auctoritatem habuiſſet. Unde dicitur 1. *quæſt.* 3. *Ex multis*, quod ibi auctoritatem ſui præcepti denuncians dixit: *Nolite facere Domum Patris mei Domum negotiationis:* item legitur, quod miſit diſcipulos ſuos ut tollerent aſinam & pullum, & adducerent ad eum, dicentes, *Quia Dominus his opus habet:* item Matthæi 8. legitur, quod miſit dæmones in porcos qui ſtatim ſe præcipitaverunt in mare, ſed nec Dominum porcorum requiſivit. Item Matthæi ultimo dicitur, quod poſt reſurrectionem dixit, *Data eſt mihi omnis Poteſtas in cœlo & in terra:* Gloſſa, *Qui prius fuerat mortuus & crucifixus.* Amplius aſſumunt illud Pſalmi, ut ſit verbum Patris ad Filium: *Poſtula a me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ: Reges eos, &c.* Ex his accipiunt, quod Chriſtus, ſecundum quod homo, habuit Poteſtatem in rebus temporalibus.

Quæ omnia de facili ſolvuntur, ſi conſideretur quod aliquid debetur

betur Christo ut Deus est, quod ei non convenit ut est homo: quamvis per singula possit discurri. Quod enim primo dicitur quod ejecit ementes & vendentes, respondetur secundum illud quod dicitur ibidem in Glossa, ubi dicitur *quod Christus quædam fecit ut Imperator, quædam vero alia ut Sacerdos. de Consecrat. dist. 2. Sacerdos.* Non quia una eademque persona illa duo officia exercere vel gerere debeat: sed hoc ideo fecit, ut ostenderet quod utraque Potestas ab eo processit, ut scilicet Deus erat. Hæc enim duo Imperium & Sacerdotium ab eodem Principio sunt; ut in Authentica, *quo modo oportet Episcopum in principio, Col. 2.* Chrysostomus enim super Matthæum dicit, *quod hoc fecit Christus quasi auctoritatem habens in quantum Deus:* significans, quod in templo Dei non debent esse nummi nisi spirituales qui Dei portant imaginem, non qui portent imaginem hominis terreni: ut non sit in domo Domini negotiatio, vel donorum cupiditas, ne ingrediatur Jesus iratus & rigidus, & non aliter mundet templum suum nisi flagello adhibito, & de spelunca latronum faciat domum orationis. Quod vero dicitur de asina, respondetur, quod auctoritatem habuit ut Deus: unde Glossa super illud *Dominus his opus habet*, dicit, *Dominus dicitur absolute & simpliciter* ad insinuandum, quod non solum erat Dominus jumentorum, sed & hominum, cui omnia sunt subjecta. Similiter dici potest ad illud quod dicitur de porcis, quamvis forte porci sylvestres essent, non habentes Dominum, pro eo quod de porcis nihil veniebat ad usum hominum, quia carnes porcinas Judæi non comedebant. Quod vero dicitur, *data est mihi omnis Potestas:* Respondetur secundum Hieronymum, *quod cum dicitur omnis Potestas, intelligenda est non temporalis sed spiritualis:* unde Hieronymus, *in cælo & in terra data est ei omnis Potestas, ut qui ante regnavit in cælis, per fidem credentium regnet in terris.* Quo modo autem regnet per fidem credentium, dicetur in sequenti argumento. Vel dicendum secundum Remigium, *quod illi qui mortuus fuerat, data erat in incarnatione omnis Potestas*, scilicet quod Deus esset qui est omnipotens, & hoc quidem evidens erat in cælo Angelis: sed non fuit evidens in terra, nisi post resurrectionem, quando misit prædicatores verbum Dei annunciantes, & Christum Dominum esse Deum omnipotentem prædicantes. Et ideo tunc fuit data per Communicationem idiomatum omnis Potestas in cælo, & in terra: non quidem quo ad existentiam, quia hanc habuit a Principio, sed quo ad evidentiam seu innotescentiam. Quod vero dicitur, *Postula a me, &c.* Respondeo, loquitur de

de Regno quod per fidem dirigit nos in cælum: Unde illud *Dabo tibi gentes, &c.* id est, Gentes per fidem tibi adhærentes: similiter illud *Reges eos in virga ferrea*, Glossa, id est, *inflexibili Justitia scilicet, quæ est per fidem: nam Justus ex fide vivit.* Et illud, *tanquam vas figuli confringes eos:* Glossa, *a luto Carnalitatis & peccati mundando eos.* Sic enim a Christo in membris suis excutitur jugum legis & peccati, secundum Glossam. Nec est intelligendum quod Christus regnet per fidem in hominibus, quasi ex eo quod aliquis convertitur ad fidem, sit subditus Christi vel ejus Vicarii in temporalibus bonis, sicut solent homines suis Regibus subdi: sic enim Christus Regnum mutaret terrenum ut timuit Herodes: sed pro tanto dicitur regnare per fidem, quia illud quod in hominibus est supremum & principale, scilicet intellectum, Christo subjiciunt, ipsum in fidei obsequium captivantes, & iste est intellectus sanctorum: unde Christus per fidem non dicitur regnare in possessionibus.

CAPUT X.

QUOD CHRISTUS NON CONTULIT OMNEM POTESTATEM SUAM PETRO QUAM ETIAM IN QUANTUM HOMO HABUIT.

Quando Christus omnem Potestatem spiritualem, quam etiam ut homo habuit, minime contulit Petro: insurgit multo minus eidem aliquam concessisse Potestatem atque Dominium in res temporales. Quanto res aliquæ habent esse perfectius & excellentius, tanto magis habent esse distinctum: quod probatur operibus naturalibus, artificialibus, & divinis: eamque ob rem Potestatem Ecclesiasticam propter suam eminentiam & excellentiam, re & subjecto distingui debuisse a Regia & seculari Potestate: tum ut charitas, pax, & concordia inter Ecclesiam & Rempublicam foveretur, & stabiliretur; cum ut Ecclesiastici a negotiis secularibus capessendis avocarentur. Omnes Apostolos eandem plane habuisse Potestatem cum Petro, sicut hodie omnes Episcopos in suis diœcesibus cum Papa in Universam Ecclesiam: & tamen nihil Iurisdictionis habere in temporalibus: aut si quid possideant id totum debere acceptum referre liberalitati Principum temporalium qui eos locupletarunt: Et de donatione Constantini.

DAto etiam quod Christus ut homo, prædictam Auctoritatem & Potestatem habuerit, eam tamen Petro non commisit. Et ideo Papæ, ratione qua est Successor Petri, prædicta Potestas non debetur: imo sunt Potestates distinctæ Episcopalis & Regalis vel temporalis, non solum re, sed etiam subjecto. Et Regalis major est in temporalibus, non habens super se superiorem, sicut nec Papa in spiritualibus. Quod-

 quidem

quidem declarari poteſt ex comparatione Eccleſiæ ad Chriſtum: nam Chriſtus Caput eſt Eccleſiæ Epheſior. 5. & ſecundum Ambroſium, *Intelligitur eſſe Caput non ſolum ſecundum divinitatem ſed etiam ſecundum humanitatem:* quæ autem ſunt indiſtincta in capite, interdum ſubjecto diſtinguuntur in membris, ſicut patet, quod omnes ſenſus ſunt in capite, non ſic autem in aliquo alio membro: & hoc quaſi regulariter verum eſt, quod aliqua ſunt magis diſtincta in principiatis quam in principio, & in effectibus quam in cauſa, & in inferioribus quam in ſuperiore. Et ideo non ſequitur, ſi Chriſtus, etiam ſecundum quod homo, utramque Poteſtatem habuerit, quod utramque Petro contulerit: ſed ſpiritualem tantum Petro contulit, & temporalem vel corporalem Cæſari dimiſit, quam a Deo accepit. Et hoc etiam a majori oſtenditur: nam quod Chriſtus, ſecundum quod homo, aliquam Poteſtatem habuit in ſpiritualibus quam conferre potuit Petro, & cæteris Miniſtris Eccleſiæ, & tamen non dedit illam quam Poteſtatem Theologi vocant Poteſtatem excellentiæ quæ in ſolo homine Chriſto fuit, ut eſt effectum Sacramenti conferre ſine Sacramento, ſine verbo vocali, vel quod in nomine ejus Sacramenta conferrentur, vel quod nova Sacramenta poſſet inſtituere. Hanc enim Poteſtatem in ſpiritualibus conferre potuit Petro, & tamen non contulit, ut dicunt omnes Theologi. Et Richardus de ſancto Victore, *in 6. libro de remiſſione peccatorum* dicit: quod *Chriſtus potuit peccata dimittere, nos vero non, ſed remittere.* Igitur multo minus eſt neceſſe, ſi Poteſtatem habuit Chriſtus in temporalibus quod eam Petro contulerit: & præcipue hoc non eſt affirmandum, cum non inveniatur expreſſum: ſed de Poteſtate ſpirituali, quod ſolum poteſt ſolvere a peccatis. Unde omnia argumenta quæ ideo Petro aliquid attribuunt, quia Chriſtus hoc potuit etiam in quantum homo, nullius ſunt momenti, niſi inveniatur expreſſum. Hoc etiam patet ex perfectione Sacrificii novi Teſtamenti: nam quanto aliquid habet eſſe perfectius, tanto magis habet eſſe diſtinctum. Sic enim videmus in naturalibus, quod in plantis non eſt ſexus ita perfectus ſicut in animalibus: ideo in eadem planta poſſunt eſſe mas & fœmina & non diſtinguuntur ſubjecto, niſi ſit error naturæ ut in hermaphroditis. In Veteri vero Teſtamento in quo erat Sacerdotium minus perfectum, erant Poteſtates Sacerdotales & Regales diſtinctæ re & ſubjecto. Ergo multo magis Deus voluit eas diſtinctas eſſe ſubjecto in novo Teſtamento. Hoc etiam apparet ex comparatione Eccleſiæ, quæ a Deo eſt inſtituta, ad opera Artis. Videtur enim domus

eſſe

esse imperfecta, & habere penuriam rerum, & non sufficiens sibi in vita, si una persona ad ministeria diversa deputetur. Unde Philosophus dicit sexto Politicorum, *quod Pauperes quia non habent copiam servorum, nec abundant iis quæ requiruntur ad perfectionem domus, utuntur filiis ut servis, & uxoribus ut ancillis.* Ecclesia autem sancta Christi domus dicitur quæ perfecta est, secundum illud Baruch. Cap.4. *O Israel, quam magna est domus Dei.* Et in Matthæo dicitur, *Domus mea domus orationis vocabitur.* Cum igitur a Deo sit sufficienter instituta, inconveniens est in ea tam diversa ministeria uni committi, Sacerdotale scilicet Officium & Regale Dominium, in quo etiam Reges Deo ministrant secundum illud Romanorum 13. *Non sine causa gladium portat, Minister enim Dei est.* Absit enim ut in his quæ a Deo instituta sunt aliquid tale ponamus, quale indecens est ponere in operibus artis, & naturæ. Dicit enim Philosophus in primo Politicorum, *quod natura nihil facit tale quale faciebant fabri facientes Delphicum gladium*, id est ad duo officia servientem. Apud Delphos enim fiebant gladii propter pauperes, qui eis ad duo officia serviebant. Natura autem nihil tale facit, & multo minus auctor naturæ. Unde Philosophus dicit, *quod unumquodque organorum optime perficiet opus suum, si non multis operibus sit serviens, sed ad unum tantum.*

Hoc etiam apparet, si consideremus quare conferens noluit illas duas Potestates esse penes unum. Nam propter duo voluit Deus istas Potestates esse distinctas re & subjecto, ut non essent in una eademque persona secundum primariam auctoritatem. Unum est propter mutuam indigentiam & subministrationem membrorum Ecclesiæ, dilectio & charitas serventur, sine qua membra Ecclesiæ non vivunt, dum Princeps indiget Sacerdote in spiritualibus, & e converso Sacerdos Principe in temporalibus, quod non esset si unus utrumque haberet. Et hoc insinuat Apostolus Roman. 12. dicens, *Omnes unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra, habentes donationes differentes. Si enim totum corpus esset oculus, ubi manus? & si totum est manus, ubi oculus?* Aliud est, ne cura temporalis auctoritatis ipsum reddat minus solicitum circa regimen spiritualitatis: & hoc tangit Apostolus 2. ad Timotheum dicens, *nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus.* Utramque autem rationem tangit Gratianus 10. *dist. Cap. Quoniam idem:* & Nicolaus Papa idem omnino dicit, *96. dist. Cap. Cum ad verum.*

Item, candem Potestatem acceperunt omnes Apostoli cum Petro,

Matthæi 18. & habetur 21. *distinct. In novo*, ubi dicitur, *quod ligandi solvendique Potestatem Petrus primus accepit, cæteri vero Apostoli cum eodem pari consortio honorem & Potestatem acceperunt.* Et in collatione hujusmodi Christus non posuit aliquam restrictionem respectu aliorum a Petro: licet ex modo loquendi appareat, quod vellet Petrum Ecclesiæ principaliorem & Caput Ecclesiæ esse propter unitatem Ecclesiæ conservandam. *Et intelligendum est sic se habere; quod sicut in Apostolis tunc quicquid potuit unus sicut Petrus, potuit & alius: ita & nunc de Jure Communi, quicquid potest Papa, potest quilibet Episcopus, nisi quod Papa potest ubique, alii vero Episcopi in suis diœcesibus tantum.* Sed nullus dicit quod cæteri Episcopi in quantum sunt Vicarii Christi, & successores aliorum Apostolorum habeant auctoritatem & Dominium in bonis temporalibus Laicorum: & quod appellari possit a Principe in causa temporali ad Episcopum illius loci, vel ad presbyterum parochiæ, quem dicunt aliqui eandem Potestatem habere in parochia sua quam habet Episcopus in diœcesi: sic igitur nullus debet hoc dicere de Papa generaliter.

Item, petentibus discipulis quis major esset futurus in Regno Christi, Regnum ejus Regnum hujus mundi intelligentes, respondit, *Reges gentium dominantur eorum, &c. vos autem non sic.* Quod verbum exponens Bernardus ad Eugenium Papam lib. secundo dicit: *Planum est quod Apostolis interdicitur dominatus: i ergo & tu & tibi usurpare aude, aut Dominans Apostolatum, aut Apostolicus Dominatum. Plane ab alterutro prohiberis: si utrumque simul habere voles perdes utrumque. Alioquin non te exceptum illorum numero putes de quibus queritur Dominus dicens, ipsi regnaverunt & non ex me: principes extiterunt, & non cognovi eos!* Et infra, *forma Apostolica hæc est, dominatio interdicitur, indicitur ministratio.* Et infra adhuc, *Exi ô Eugeni exi, inquam, in mundum: Ager est enim mundus, isque creditus tibi: Exi in illum non tanquam Dominus, sed tanquam villicus, videre & procurare unde exigendus es rationem, non a Christo vel ejus Vicario Petro, habet Summus Pontifex dominatum:* Idem libro primo, *In criminibus non in possessionibus Potestas vestra, quoniam propter illa & non propter has accepistis claves Regni cælorum.* Et infra, *Habent hæc infima & terrena Judices suos Reges & Principes terræ. Quid ergo fines alienos invaditis? Quid falcem vestram in alienam messem extenditis? Non quia indigni vos; sed quia indignum vos talibus insistere quippe potioribus occupati.*

Amplius, Summi Pontifices dicunt dictas Potestates subjecto esse di-

distinctas, scilicet temporalem & spiritualem, *distinct.* 10. *Quoniam idem*, & 96. *distinct. Cum ad verum*, *& Cap. Duo sunt quippe*, & sic sunt distinctæ quod una in aliam non reducitur, sed sicut spiritualis immediate est a Deo, ita & secularis. Unde Imperium a solo Deo est, ut habetur 23. *quæst.* 4. *Quæsitum est.* Et quia Papa non habet gladium ab Imperatore, nec Imperator habet gladium a Papa *dist.* 96. *Si Imperator.* Nam exercitus facit Imperatorem *dist.* 93. *Legimus.* Et quod a Principe in temporalibus non appellatur licite ad Papam: & quod temporalia non tangunt suam Jurisdictionem, ut dixit Alexander *Extravag. de Appellationibus. Cap. Si duobus. & Extravag. Qui filii sunt legitimi. Cap. Causam.* Et ab Episcopo appellatur in temporalibus ad Principem *Extravag. de Foro competent. Cap. Verum:* quia cognoscit de his Episcopus tanquam Judex secularis, *Extravag. de Judiciis*, *Cap. Cæterum*, & in Authent. *Quomodo oportet Episcopum*, *in prin. Col.* 1. Et Ecclesia solvit Tributum Imperatori, XI. *quæst.* 1. *Cap. Magnum.* ubi Ambrosius allegat exemplum de Christo, qui solvit Tributum, & allegat etiam illud Apostoli Roman. 13. *Omnis anima Potestatibus sublimioribus sit subjecta:* & illud 2. Petri 2. *Estote subditi Dominis vestris, sive Regi quasi præcellenti, &c. Et eadem quæst. & causa Ca. Si Tributum:* & multa alia consimilia possent adduci ad ostendendum Dominum Papam non habere utrumque gladium, nec Jurisdictionem in temporalibus, nisi sibi concedatur a Principe ex devotione. Et hoc dicunt expositores Juris Canonici, qui statum in Ecclesia habuerunt, etiam in casu in quo minus videtur. Quærit enim Hostiensis *de Hæreticis. Cap. Vergentis.* ubi mandat Dominus Papa Hæreticorum confiscari bona, *quid ad Papam de temporalibus*? Et respondet cum Domino suo Innocentio, *quod revera nihil ad eum: sed hoc fecit de assensu Imperatoris qui tunc Paduæ præsens concessit* Mirum etiam videtur quod Constantinus Imperator dedisse dicitur Imperium Italicum Ecclesiæ, & totam Jurisdictionem temporalem, & quod Ecclesia illud tanquam datum, si hoc habuit de Jure, recepit: tunc enim non fuisset facta beato Sylvestro donatio, sed restitutio ejus quod suum erat: cujus contrarium sentit Ecclesia *dist.* 96. *Constantinus.*

CAPUT

CAPUT XI.

EVASIONES QUORUMDAM DICENTIUM POTESTATEM SECULAREM ESSE A PAPA, ET IN PAPA, CUM EORUM REPROBATIONE.

Confutatio eorum qui asserunt Politicam Potestatem quo ad jus & primariam auctoritatem immedite esse penes unum Papam: & quo ad exercitium & exequutionem immediatam, Regibus & Politicis Principibus tantum competere: quasi vero Reges & Principes essent Ministri & Vassalli Papæ, & non multo ante veri atque legitimi Reges quam Pontifices Romani extitissent. Accedit, nullam potentiam conferri sine actu & exercitio. Deinde, si Episcopi & Presbyteri, qui sunt subordinati Papæ, suam immediate a Deo derivant Potestatem, non a Papa: quanto minus Reges suam Potestatem temporalem habent dependenter a Pontifice? Quidnam sit S. Bernardo gladium materialem esse penes Papam ad nutum, & penes Imperatorem ad jussum: & de genuino sensu hujus loci Scripturæ primæ Corinthior. 6. Contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum, *&c. Principes Politicos, aliquando solum Dominium utile, ut sunt proventus rerum absque Dominio directo & Iurisdictione; aliquando vero utrumque Ecclesiasticis concessisse: & utrum idem Principes habeant usum atque exequutionem Dominii sine Potestate & Auctoritate primaria.*

SUnt aliqui credentes evadere aliqua prædictorum per brevem distinctionem, dicunt enim quod Potestas secularis est penes Papam immediate, & secundum primariam auctoritatem, sed non habet Papa exequutionem immediate, sed eam dat Principi: ita quod secularis Princeps, quantum ad ipsam Potestatem, recognoscere debeat a Papa: sed quantum ad exequutionem, Papa recognoscit a Principe seculari. Et hæc sunt verba eorum per quæ solvere nituntur aliqua prædictorum. Sunt vero aliqui sentientes, quod Papa habet a Deo Jurisdictionem temporalem secundum primam auctoritatem, sed exequutionem non habet: sed Imperator exequutionem habet, non quidem a Papa sed a Deo: & per hoc volunt solvere aliqua prædictorum. Sed ista evasio est omnino absurda, nec etiam convenit dictis ipsorum: quia si Ecclesia recognosceret exequutionem a Principe seculari, tunc Princeps secularis haberet Judicare de debita exequutione Papæ, & ab eo posset auferre exequutionem, quod ipsi negant, quia dicunt ipsum a nemine judicari. Item, si Deus dedit Papæ Potestatem secularem secundum primam auctoritatem, sed non exequutionem, quia ei non convenit, quomodo accipit a Principe quod Deus judicat ei non convenire? Et quo modo dat

dat ei quod ab ipso Principe reaccipiat? Item, si Papa habet a Deo Potestatem secularem immediate, & Princeps habet exequutionem a Papa immediate: Ergo Princeps est Minister Papæ, sicut Papa Minister Dei vel Christi: quod videtur inconveniens & contra Scripturam Canonicam: dicitur enim Romanorum 13. de Rege & Principe, *Si malefeceris time, non enim sine causa gladium portat: Dei enim Minister est & vindex malorum in iram, &c.* Et ideo, *Præstatis tributa, Minister enim Dei est*, non dicit Papæ sed Dei, *in hoc ipsum servientes.* Glossa *Deo* scilicet.

Item, prius fuit Potestas Regia secundum se, & quantum ad exequutionem, quam Papalis: & prius fuerunt Reges Franciæ in Francia quam Christiani. Ergo Potestas Regia nec secundum se, nec quantum ad exequutionem est a Papa, sed est a Deo & a populo Regem eligente in persona vel in Domo, & sic sicut ante. Dicere enim quod Potestas Regia prius esset a Deo immediate, & postea a Papa, est valde ridiculosum: non enim potest hoc esse nisi Christus Petro dederit Potestatem conferendi Regiam Potestatem, quod non est verum, ut supra dictum est. Indubitanter ergo est a Deo sicut ante. Unde Glossa super illud primæ Petri 2. *Subditi estote omni creaturæ, &c. fides & Religio non turbant Jura conditionis.* Et Ambrosius in Glossa super illud Roman. 13. *Omnis anima, &c.* dicit, *licet omnes fideles, in quantum fideles unum sint in Christo, differunt tamen in conversatione.*

Amplius, etiam Potestas inferiorum Pontificum & Curatorum magis videtur esse a Deo mediante Papa quam Regia Potestas, eo quod immediatius dependent Prælati Ecclesiastici a Papa quam Principes seculares, & tamen POTESTAS *Prælatorum inferiorum non est a Deo mediante Papa, sed immediate a Deo & a populo eligente vel consentiente. Non enim Petrus, cujus Successor est Papa, misit alios Apostolos quorum Successores sunt alii Episcopi: nec LXXII Discipulos quorum Successores sunt Presbyteri Curati, sed eos Christus immediate misit Joannis 20. & Lucæ 10. Nec Petrus insufflavit in alios Apostolos, dans eis Spiritum Sanctum, & Potestatem dimittendi peccata, sed Christus Joannis 20. Deinde 21. dist. In novo dicitur, quod omnes a Christo simul eandem & æqualem acceperunt Potestatem.* Paulus etiam dicit, *suum Apostolatum non accepisse a Petro, sed a Christo seu a Deo immediate Galat.* 1. *Paulus,* inquit, *Apostolus non ab hominibus, neque per hominem sed per Jesum Christum & Deum Patrem:* & infra, *neque ab homine illud accepi, nec didici.* Et infra, dicit, quod post vocationem suam ad euangelizandum mundum

dum, non viderat Petrum usque post annos tres, quando venit Hierosolymam videre Petrum. Potestas ergo Regia multo minus est a Papa qualitercumque.

Amplius, quia contingit quandoque quod aliquis habeat Potestatem aliquid faciendi & non actum propter impedimentum, verbi gratia, aliquis habet potentiam consecrandi cui non convenit actus propter defectum materiæ, quia non habet panem: vel propter suspensionem: vel propter defectum corporalem, quia mutus est, non potens proferre verba. Ista tamen sunt impedimenta supervenientia collationi Potestatis: nam nullus sapiens conferret alicui Ordinem Sacerdotii dum sciret ipsum habere aliquod impedimentorum prædictorum regulariter. Non ergo videtur dicendum, quod Papa habeat immediate a Deo Potestatem gladii secularis, cujus exequutio ei regulariter non convenit. Sic enim Deus magis superflueret in suis operibus, quam natura, quæ nulli dat virtutem sine actu: *quia cujus est potentia ejus est actus*, ut dicitur in libro de somno & vigilia: & sic insipientior esset Deus homine.

De nullo etiam loco Scripturæ Canonicæ possunt accipere prædictam distinctionem, nisi forte velint accipere dictum Bernardi, ponentis quod Papa habet gladium materialem in nutu: sed dictum hoc, quod non est magnæ auctoritatis, magis est contra eos quam pro ipsis, quia signanter dicit Bernardus, quod Papa materialem gladium habet in nutu: quia ubi innuit Papa propter necessitatem boni spiritualis, Imperator debet exercere Jurisdictionem secularis Potestatis. Si tamen nolit vel non videtur sibi expedire, Papa non habet aliud facere, quia non habet gladium in jussu sed Imperator tantum: sicut ipsemet dicit, & infra dicetur magis.

Possent etiam ad hoc trahere illud primæ Corinthior. 6. *Secularia Judicia si habueretis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad Judicandum.* Ex quo videtur trahi, quod Clerici habeant constituere Contemptibiles, id est, Laicos in causis secularibus. Sed istud in nullo est pro ipsis, quia Apostolus non loquitur Clericis specialiter, sed loquitur generaliter fidelibus: ipsos scilicet reprehendendo, quia in causis secularibus constituebant personas Contemptibiles, id est, ignaras ad judicandum, unde compellebantur fideles recurrere ad Iudicium infidelium, quasi inter fideles non esset sapiens aliquis qui judicare posset. Unde illud *Constituite* exposuit Glossa *non hortative dictum sed ironice*, quasi diceret, ita facitis: constituitis enim tales

tales Contemptibiles & ignaros, & ita compellitis fideles recurrere ad Judicium infidelium: unde subdit Apostolus *ad verecundiam vestram dico, quasi non sit inter vos sapiens.* Et certe ita vult Apostolus, quod fideles etiam Laici constituant in causis secularibus industrias personas ad judicandum: & ita nihil est ad propositum. Vel, dato quod loquatur viris Ecclesiasticis, adhuc non est ad propositum: quia non intendit quod viri Ecclesiastici constituere habeant Judices in secularibus Judiciis indistincte, sed solum ubi data est eis Jurisdictio a Principe in temporalibus bonis: tunc enim debent instituere in talibus Contemptibiles, id est, Laicos, qui judicent de talibus, & non debent de talibus immediate se intromittere, sicut etiam hodie observatur, quia ponunt *Baillivos seculares.* Unde Apostolus non dicit, Cum habueritis secularia Judicia, &c. Sed dicit, *si habueritis*, insinuans quod talia Judicia eis non debentur, nisi eis fuerit concessum vel permissum a Principe: & tunc debent judicare per Contemptibiles personas, id est, Laicos, secundum tenorem Legum & debitum terreni Juris, ut dicit expresse Hugo de Sacramentis libro 2. parte 2. Cap. 7. Cujus verba sunt hæc: *Notandum tamen quod Principes terræ, in terrenis possessionibus quas in subjectis sive subditis possident, aliquando concedunt ipsi Ecclesiæ solam utilitatem, aliquando utilitatem & Potestatem. Utilitatem sine Potestate concedunt, quando fructum possessionum ad usum Ecclesiæ transferri decernunt: sed Potestatem Justitiæ exercendæ in ipsa possessione ad ejus Jurisdictionem transire non permittunt. Aliquando autem utilitatem & Potestatem simul tribuunt: Potestatem tamen exercendæ Justitiæ aut Judicia secularia per Ecclesiasticas personas exercere non sinunt: possunt tamen habere ministros Laicas personas per quos vel per quas Jura & Judicia ad terrenam Potestatem pertinentia secundum tenorem Legum & debitum Juris terreni exerceant.* Quod vero alii dicebant, quod Princeps habet exequutionem sine Potestate a Deo non a Papa, non videtur rationabile, quod Deus det alicui Potestatem sine actu per se vel per alium: & alii exequutionem sine Potestate & Auctoritate. Nec etiam esset contra nos hæc opinio, quia ad minus, secundum eam, non appellabitur a Principe ad Papam.

CAPUT XII.

QUADRAGINTA DUÆ RATIONES DICENTIUM QUOD PAPA HABET JURISDICTIONEM IN EXTERIORIBUS BONIS TEMPORALIBUS.

NUnc videndum est quibus innituntur fundamentis, qui dicunt Sacerdotes & præcipue Papam habere Potestatem primariam in temporalibus, & ipsam a Summo Pontifice derivari ad Principem secularem: Allegant enim

I. Illud Hieremiæ 1. ut habetur *Extrav. de majoritate & obedientia Cap. Solitæ*, quod dictum est Hieremiæ Sacerdoti de prosapia Sacerdotali non Regali, quia de Sacerdotibus erat qui erant in Anathot: *Ecce constitui te super Gentes, & Regna, ut evellas, & disperdas, & destruas, & dissipes, & ædifices, & plantes.* Ex quo dicunt Papam, qui supremus est in gradibus Ecclesiasticorum Sacerdotum, Potestatem habere amovendi Reges terræ, & constituendi.

II. Item, dictum est Petro Matthæi 16. & 18. *Quodcumque ligaveris & solveris super terram*, &c. quod dictum est indistincte ut dicunt.

III. Item, primæ Corinthiorum 6. dicitur: *Nescitis quoniam Angelos judicabimus, quanto magis secularia?*

IV. Item, Genesis 1. *Fecit Deus duo luminaria magna, Solem, scilicet Papam, ut præesset diei, vel in spiritualibus: & Lunam, scilicet Imperatorem vel Regem, ut præesset nocti, scilicet in temporalibus: sed Luna non habet nisi Lumen mutuatum a Sole.* Ergo quod Imperator vel Rex præsit in temporalibus hoc habet per Potestatem quam accipit a Papa.

V. Item, Zacharias Papa deposuit Regem Francorum & loco ejus substituit Pipinum. 15. *quæst. 6. Cap. Alius.*

VI. Item, 22. *dist. Cap.* 1. dicit Nicolaus Papa, *quod Christus Petro tam cœlestis quam terreni Imperii Jura concessit.*

VII. Item, Imperator jurat Papæ ut habetur *dist.* 63. *Tibi Domino.*

VIII. Item, Papa deponit Imperatorem. 15. *quæst. 6. Cap. Alius.*

IX. Item, Papa transtulit Imperium de Oriente in Occidentem. *Extravag. de Electione Cap. Per venerabilem.*

X. Item,

X. Item, a Judice feculari interdum appellatur ad Papam. *Extrav. de Foro competenti. Cap. Licet.*

XI. Item, Papa abfolvit milites a juramento quod fecerunt Domino temporali: & quandoque omnes Francigenas a juramento fidelitatis abfolvit. 15. *quæft.* 6. *Cap. Alius.* & 1. *quæft.* 4. *Cap. Quia præfulatus.*

XII. Item, Papa habet cognofcere de omni delicto: conftat autem, quod delictum committi poteft in temporalibus, ut cum aliquis indebite fibi vendicat alienum. Ergo, &c.

XIII. Item, cum unus Princeps injuriatur alteri de feudo, poteft injuriam paffus hoc denunciare Summo Pontifici, in quo cafu Papa cognofcere habet. *Extravag. de Judiciis. Cap. Novit.* Ergo Papa cognofcere habet de temporalibus.

XIV. Item, Matthæi 18. dicitur, *Si peccaverit in te frater tuus, vade, &c.* & infra, *Quod fi te non audierit dic Ecclefiæ: fi autem Ecclefiam non audierit; fit tibi ficut ethnicus & publicanus.* Ecclefia ergo judicare habet indiftincte ubi injuria fibi denunciatur.

XV. Item, Theodofius Imperator ftatuit, & Carolus innovavit, *Quod quicumque litem habens, fi in Judicio elegerit Sacrofanctæ Sedis Antiftitem, illico fine ulla dubitatione, etiam fi pars altera refragetur, ad Epifcoporum Judicium cum fermone litigantium dirigatur:* Extravagante *de Judiis.* Cap *Novit.*

XVI. Item, in Deuteronom. 17. dicitur, & habetur Extravag. *Qui filii fint legitimi.* Cap. *Per venerabilem. Quod fi difficile & ambiguum apud te Judicium effe perfpexeris inter fanguinem, & fanguinem, caufam & caufam, lepram & lepram, & Judicum inter portas tuas videris verba variari, &c. venies ad Sacerdotes Levitici generis & ad Judicem qui fuerit illo tempore: qui indicabunt tibi Judicii veritatem: & facies quæcumque dixerint qui præfunt loco quem elegerit Dominus, fequerifque eorum fententiam, &c.*

XVII. Item, qui poteft majus poteft & minus: cum ergo Papa poffit in fpiritualibus, poterit & in temporalibus.

XVIII. Item, temporalia ordinantur ad fpiritualia, & interdum eis conferunt: Papa ergo qui curam gerit de fpiritualibus, habet etiam de temporalibus judicare, faltem in quantum ad fpiritualia valent.

XIX. Item, Papa mutat & transfert legata indiftincte: & etiam ad Papam pertinet reftitutiones facere de bonis defunctorum, quando

do personæ ignotæ sunt quibus debetur. Ergo ad eum pertinet ordinare de temporalibus.

XX. Amplius arguunt aliqui sic: Corporalia reguntur per spiritualia, & ab ipsis dependent sicut a causa: quod ostendunt ex multis: nam corpora cælestia per Angelos administrantur, & in homine anima regit corpus & movet: quare similiter spiritualis Potestas causalitatem habet super temporalem: & temporalis a spirituali, ut a causa, dependet: cum temporalis Potestas sit magis propter regimen vitæ spiritualis.

XXI. Et rationem hanc videtur tangere Hugo de Sancto Victore lib. 2. *de Sacramentis.* parte 2. Capite 4. dicens sic: *Quanto vita spiritualis dignior est quam terrena, & anima quam corpus, tanto spiritualis Potestas terrenam sive secularem Potestatem honore ac dignitate præcellit. Nam spiritualis Potestas terrenam Potestatem & instituere ut sit, & judicare habet si bona non fuerit: ipsa vero a Deo primum instituta est: & si deviat, a solo Deo judicari potest.*

XXII. Sic enim scriptum est, *Spiritualis homo omnia dijudicat, & ipse a nemine judicatur:* & ita spiritualis Potestas terrenam seu secularem instituit, & eam judicat.

XXIII. Item, id arguunt ex ordine finium: in artibus enim subordinatis, ars ad quam pertinet ultimus & principalis finis, imperat aliis ad quos pertinent fines secundarii: sed secularis Potestas intendit bonum multitudinis, quod est vivere secundum virtutem, ad quod potest venire virtute naturæ per ea quæ huic adminiculantur. Potestas autem spiritualis intendit bonum multitudinis supernaturale, scilicet æternam vitam, vel beatitudinem, & in ipsam dirigit: finis vero supernaturalis potior est & principalior quolibet alio fine. Ergo spiritualis Potestas, quæ Ministris Ecclesiæ collata est, superior est non solum dignitate, sed etiam causalitate, Potestate seculari: & ei habet præcipere qualiter debeat operari.

XXIV. Ulterius ex isto medio concludunt, quod Papa tradit leges Principibus, secundum quas secularem Jurisdictionem exequi, & exercere debeant: nec possunt seculares Principes aliunde accipere leges, nisi a Papa fuerint approbatæ.

XXV. Dicunt etiam, quod ideo spiritualis Potestas dicitur Regale Sacerdotium, quia Christus Rex est & Sacerdos, & ejus Vicarius Potestatem habet Regalem & Sacerdotalem: quia per ipsum Regalis Potestas instituitur, ordinatur, sanctificatur, & benedicitur.

XXVI. Pro-

XXVI. Propter hoc etiam dicunt, quod in Veteri Testamento, ut dicit Hugo, primum a Deo institutum est Sacerdotium: postea vero per Sacerdotium institutum, Potestas Regalis jubente Domino est ordinata: & adhuc Sacerdotalis dignitas Regalem Potestatem sanctificat per benedictionem, & format per institutionem.

XXVII. Ostendunt etiam per Augustinum de Civitate Dei lib. 2. Cap. 21. ubi dicit, *quod sine vera Justicia non potest Regi Respublica*: vera autem Justicia non est ubi Christus non est Rector: & sic non est Respublica recta & vera nisi populi Christiani, in qua non spectat de Jure gubernatio nisi ad Papam, qui est Christi Vicarius.

XXVIII. Amplius dicunt sic, *Quæ a Deo sunt, ordinata sunt.* Romanor. 13. utraque Potestas a Deo est: ergo ordine quodam, scilicet secularis mediante spirituali & non immediate est a Deo.

XXIX. Amplius dicunt & videtur esse rationabile, cum una sit Ecclesia, & unus populus Christianus, & unum corpus mysticum; quod sit unum Caput a quo spiritualiter, & temporaliter membra dependeant: & ideo dicunt quod omnis Potestas in Ecclesia sive spiritualis sive temporalis dependet ex uno apud quem utraque residet: & iste est Papa Successor Petri, & Vicarius Christi.

XXX. Item, adducunt pro se Bernardum ad Eugenium Papam lib. quarto dicentem sic: *Quid denuo gladium usurpare tentas quem semel jussus es reponere in vaginam? Quem tamen qui tuum negat, non satis videtur attendere ad verbum Domini sic dicentis; converte gladium tuum in vaginam: tuus est ergo & forsitan ipse tuo nutu, & si non tua manu evaginandus: alioqui si ad te nullomodo pertineret, & iis Apostolis dicentibus, ecce gladii duo hic, non respondisset Dominus, satis est, sed nimis est: uterque ergo Ecclesiæ est, & spiritualis & materialis: sed is quidem pro Ecclesia, ille vero & ab Ecclesia exercendus: ille Sacerdotis ore, iste militis manu, sed sane ad nutum Sacerdotis, & jussum Imperatoris.* Ex quibus patet, Papam immediate habere utramque Jurisdictionem, quantum ad primariam auctoritatem, licet exequutio gladii materialis ad Imperatorem pertineat.

XXXI. Amplius, præter prædicta, arguit quidam Dominus Joannes de Cremona Doctor ut dicitur in Decretis, quod Dominus a Principio mundi rexit mundum per se: & Evam, Adam & Caim punivit, & hoc usque ad Diluvium: & tunc vero rexit per Noe cui præcepit facere arcam, & regere eam: & hic Noe Sacerdos erat, ut ipse dixit, quia ædificavit altare Domino, & sacrificium obtulit. Postea autem

autem rexit per Abraham & alios Patriarchas, qui fuerunt Sacerdotes Deo ſacrificia offerentes: unde Abraham bis Domino ædificavit altare, & fuit Presbyter, ut notatur 84. *diſt. Ca. ultimo.* Deinde rexit per Moyſem & Aaron, qui punierunt Pharaonem & rexerunt populum Iſrael in deſerto in temporalibus & ſpiritualibus, & ii Sacerdotes erant Pſalmo 98. *Moyſes & Aaron in Sacerdotibus ejus, &c.* Videtur ergo quod Sacerdotes Novæ Legis, cum non ſint minoris auctoritatis habeant regere in utriſque.

XXXII. Item, arguitur ſic: Habens Dominium ſuper finem habet etiam in iis quæ ordinantur ad finem: ſed temporalia ordinantur ad ſpiritualia ut ad finem: Papa vero habet Dominium in ſpiritualibus. Ergo, &c. Item ſic, Chriſtus dedit animas Petro: ſed corpus eſt propter animam, & ei ſubjectum: bona vero exteriora & temporalia ſunt propter corpus, & ei ſunt ſubjecta: & hoc etiam videtur dicere Apoſtolus 1. ad Corinthios 3. *Noſtra ſunt omnia, nos autem Chriſti; Chriſtus autem Dei:* ubi dicit Gloſſa, quam tamen iſte pro ſe non allegat, *Omnia quotquot ſunt in mundo, noſtra ſunt.*

XXXIII. Item, dicit iſte, quod Imperatores a principio aliquod jus habuerunt in Imperio: ipſi tamen propter peccata quæ commiſerunt in ſanctos, ipſos occidendo, & præcipue Summos Pontifices, privati ſunt jure Imperii, & jus Imperii ad Eccleſiam tranſlatum eſt: *quia Privilegium meretur amittere, qui commiſſa ſibi abutitur Poteſtate. XI.* quæſt. 3. Cap. *Privilegium.*

XXXIV. Item dicit iſte: Dominium iſtud quod nunc habet Eccleſia, & olim non habebat, ſignificatum fuit, Lucæ 14. ubi dicitur, quod Paterfamilias parato convivio miſit filium ſuum in vicos & plateas dicere invitatis ut venirent: & cum hoc factum eſſet, dixit iterum Paterfamilias ſervo ut exiret in vias & ſepes & compelleret omnes intrare, ut impleretur domus tota. In primo ſignificatur Eccleſia, quantum ad ſtatum ſuum primum, quando non habebat auctoritatem compellendi, quia erat ſubjecta: ſed in ſecundo ſignificatur ſtatus Eccleſiæ modernus in quo habet auctoritatem plenariam compellendi & imperandi in omnibus, ut exponit Auguſtinus, & habetur 23. quæſt. 4. Cap. *Diſplicet:* & conſimilia adducunt quidam de illo Pſalmo, *Quare fremuerunt Gentes:* ubi fremuiſſe dicuntur primo Gentes & Judæi contra Chriſtum: in quo ſignificatur primus ſtatus Eccleſiæ: poſtea dicitur, *Diſrumpamus vincula eorum, &c.* & infra, *Et nunc Reges intelligite,* uſque, *Apprehendite diſciplinam, &c.* In quo ſigni-

ſignificatur ſtatus Eccleſiæ modernus in quo Papa Chriſti Vicarius habet Dominium ſuper Reges terræ, qui ei debent totaliter eſſe ſubjecti, licet a principio hanc Poteſtatem non habuerit. Adjungunt etiam aliqui quod Dominus a Principio Petrum & Andream vocando convertit, ſed ultimum Apoſtolorum ſcilicet Paulum convertit ad terram proſternendo, & hoc adaptant modo conſimili, ſicut & præcedentia.

XXXV. Item, adjungunt aliqui ad diminutionem Regiæ Poteſtatis & exaltationem Papalis dignitatis, quod Dominus populo Iſrael a Principio inſtituit Sacerdotes, ſed non inſtituit eis Regem, ſed ſolum permiſit eorum arbitrio dicens Deuter. 17. *Conſtituam mihi Regem ſuper me, &c.* Et hoc permiſit Dominus indignatus ad petitionem ipſorum, ut patet per hoc, quod dicit ad Samuelem primo Regum 8. *Non te abjecerunt ſed me, ne regnem ſuper eos.* Ex quo patet, Regnum ſive regimen Regale non eſſe acceptum a Deo, ſed ipſum ſolum permiſit indignatus: & magis eſſet Deo acceptum quod per ſolum Pontificem mundus in omnibus regeretur: unde Oſeæ 8. dicitur de Regibus, *Regnaverunt & non ex me: Principes extiterunt, & non cognovi eos.*

XXXVI. Item, ut diminuant Regiam Poteſtatem & trahant eam ad Papam, aſſumunt illud Geneſis 47. quod cum tempore famis cunctorum Ægyptiorum triticum emeret ſibi Pharao, atque ſub eadem fame, ſervituti ſuæ cunctos ſubjiceret, Sacerdotibus tamen iſta neceſſaria ſubminiſtravit, ut nec poſſeſſionibus nec libertatibus nudarentur: quaſi Domino ex tunc pronunciante, vel prænunciante, Sacerdotes in omni gente liberos eſſe oportere. Quod verbum ſic dictum accipitur ab Urbano Papa 23. *quæſt. ultima Cap. Tributum*, ad probandum quod temporalia Clericorum non videntur Imperialibus exactionibus ſubjicienda.

XXXVII. Item, ſi Papa citet Epiſcopos alicujus regionis ad Curiam & Rex a quo tenent feudalia dicat ſe eis indigere, & eos retinere velit, tenentur obedire Papæ, 23. *quæſt.* 8. *in Cap. Reprehenſibile*: & ſic ſaltem in tali caſu non tenentur Principi, ſed Papa videtur eos eximere.

XXXVIII. Item, dicunt quod Papa poteſt a Regibus auferre collationem præbendarum quæ ſibi competere dicuntur de Jure patronatus, & conſuetudine. Quod probant, tum quia collatio beneficiorum eſt ſpirituale quoddam vel ſpirituali annexum, ſicut jus decimarum, & ita non cadit in Laicum: tum quia dos Eccleſiæ non

debet esse onerosa: tum quia consuetudo non præjudicat Juri privato: de Jure vero privato competit Ordinario beneficiorum Ecclesiasticorum, & non Laicæ personæ: tum quia consuetudo vel conditio inhonesta & contraria substantiæ Contractus, pro non adjecta habetur, & si cum dicta conditio sit inhonesta pro non adjecta haberi debet: tum quia Ecclesia gaudet Jure minorum, & ideo cum reputet se gravatam de talibus conventionibus, & dissimulationibus, petere potest restitutionem in integrum: & sic Papa loco Ecclesiæ potest repetere prædicta, & inhibere ne amodo Reges dicta beneficia conferant.

XXXIX. Et ad confirmationem suæ sententiæ dicunt isti quod Papa debet esse perfectus in utraque vita activa scilicet, & contemplativa, multo plus quam quilibet alius Prælatus: Perfectus autem esse non potest in activa vita, nisi habeat Dominium in temporalibus directum & utile, quia ad vitam activam pertinet administratio temporalium.

XL. Item dicunt, quod Clerici plus vigent ratione & intellectu quam Laici: & tales debeant regere in utrisque.

XLI. Item dicunt, quod contrarium loquentes, dicunt in favorem Principum spe vel timore, & non secundum conscientiam.

XLII. Item, dicit ille de Cremona, quod quasi hæretici vitari debent, & etiam judicari, dicentes Papam non habere Potestatem in temporalibus, quia hoc dicunt ut Ecclesia non possit hæreticos coërcere per brachium seculare. Hæc sunt quæ audire vel colligere potui ad hanc partem.

CAPUT XIII.

QUOD EX AUCTORITATIBUS PRÆMISSIS, NON HABENT PRÆLATI ECCLESIASTICI JURISDICTIONEM IN TEMPORALIBUS, NEC OB ILLAS PRINCIPES EIS IN TEMPORALIBUS SUNT SUBIECTI.

Definitio Sacerdotii & Sacramenti: & de illorum fine, qui est, ut homines ad vitam æternam per rectam administrationem Sacramentorum dirigantur: quam ad rem quinque requiruntur: primo quidem ex parte Sacramentorum, visibilis materiæ consecratio: duo autem ex parte

parte populi, nimirum eruditio & correctio: duo similiter ex parte Sacerdotum, legitima nempe & distincta ordinatio, cum decenti sustentatione: at facultatem ordinandi uni delatam esse Episcopo, ut vitarentur schismata. Disputatio de sextuplici Potestate quam Christus detulit Apostolis. 1. Potestas in corpus verum Christi. 2. Potestas in corpus mysticum ad retinenda & remittenda peccata. 3. Potestas prædicandi Euangelium. 4. Potestas Iurisdictionis aut corrigendi. 5. Potestas determinandæ Iurisdictionis Ministrorum: & quod omnes Episcopi virtute ordinis & characteris sint œcumenici: Iure autem humano ad hanc & illam diœcesim addicti. 6. Potestas accipiendi necessaria ad honestam sustentationem Ecclesiasticorum.

Inductione facta per sex memoratas species Potestatis Ecclesiasticæ, demonstratur, Papam nullum omnino jus habere in rebus temporalibus, quia ejus Potestas quanta quanta spiritualis est: & ratione Potestatis in foro exteriori, Ecclesiasti solummodo cognoscunt de causis vel delictis, ut spiritualia sunt: necnon similiter de peccato erroris aut oppositionis, quo quispiam opponit aut asserit aliquid Legi divinæ naturali, aut Canonicæ contrarium: Iudex autem Politicus cognoscit de peccato vendicationis, & possessionis, quo aliquis quidpiam suum esse vendicat. Censuram Ecclesiasticam rem esse pure spiritualem, quæ nullam pœnam temporalem potest imponere ut eam exequutioni demandet, propterea quod Ecclesia nullum Dominium aut usum habet gladii materialis, nisi illud a Principe Politico mutuetur. Demum Potestas accipiendi necessaria ad vitæ sustentationem, debitores non subditos Ecclesiasticorum efficit homines.

AD horum vero solutionis evidentiam præmittendum est, scilicet, qualem Potestatem acceperunt a Christo Apostoli & Discipuli Domini, & in ipsis Episcopi & Sacerdotes alii. Nam ut dicit Glossa Lucæ 10. *Sicut in Apostolis forma est Episcoporum, sic in LXXII Discipulis, forma est Presbyterorum secundi Ordinis:* ET OMNIS POTESTAS SACERDOTALIS *ad hos duos Ordinis reducitur.* Est ergo sciendum quod sicut patuit ex prædictis in secundo capite, *Sacerdotium non est aliud quam Potestas spiritualis Ecclesiæ, collata ad dispensandum fidelibus Sacramenta gratiam continentia quæ ordinantur ad vitam æternam.* Sicut autem natura, quæ non deficit in necessariis, ideo non dat alicui potentiam, nisi det sufficientia adjutoria, per quæ potentia illa modo convenienti possit exire in suam operationem, unde Philosophus habet pro inconvenienti quod natura det alicui potentiam aliquam animæ, & non det ei organa per quæ operatio animæ impleatur: ita Deus, cum minus deficiat quam natura, cum prædicta Potestate dat etiam Sacerdotibus illa, sine quibus illi prædictam Potestatem convenienter exercere non possunt. Sunt autem quinque talia: unum est ex parte Sacramentorum, materiæ corporalis sanctificatio vel consecratio. Nam secundum Hugonem, & Magistrum sententiarum, *Sacramentum est sensibile elementum sanctificatum & consecratum per verbum Dei.* Duo autem sunt ex parte Fidelium quibus Sacramenta ministrantur: quorum Unum est debita Informatio seu eruditio eorum per doctrinam, ut sciant quo modo vivere debeant, ut digne recipiant

Sacramenta: quia non conferunt nisi dignis & dispositis. Aliud est Contemnentium coërcitio, ut qui propter turpe quod est in peccato, vel propter monitiones & eruditiones salutares non discedunt a turpi; ipsi per pœnas Judicum coërceantur. Ex parte vero Ministrorum Sacramenta ministrantium, similiter duo requiruntur, Unum est ipsorum Distinctio & Ordinatio debita. Nam si multitudo Ministrorum non esset debite ordinata & distincta per unum in hoc habentem auctoritatem, esset confusio: & negligeretur communis utilitas, si quilibet Ministrorum posset exercere Jurisdictionem suam ubique. Nam homines non consueverunt ita esse soliciti de communi, sicut de sibi appropriato: esset etiam dissentionis materia in populo, & inter Ministros, si omnes Ministri curam haberent indistincte de omni populo, sicut in primitiva Ecclesia erat, ubi unus dicebat, *Ego sum Pauli, alius vero dicebat ego sum Apollo*, 1. Corinthior. 1. Et ideo necessaria est distincta Ministrorum ordinatio per aliquem unum habentem auctoritatem in hoc. Aliud vero est quo ad necessitatem vitæ vel sustentationem.

Et secundum ista in Euangelio accepimus sex Potestates collatas Apostolis & Discipulis Domini, & in ipsis Successoribus eorum, Ministris scilicet Ecclesiasticis.

Prima est Potestas Consecrationis quæ interdum dicitur Character vel Potestas Ordinis quam contulit Dominus Discipulis in cœna, quando tradens corpus suum sub specie panis eis dixit, *Hoc facite in meam commemorationem*, Lucæ 22. & primæ Corinth. 11.

Alia est Potestas Administrationis Sacramentorum & præcipue Sacramenti Pœnitentiæ, quæ est Potestas clavium vel spiritualis Jurisdictionis in foro conscientiæ, & consistit in auctoritate discernendi lepram a non lepra, & in potentia absolvendi a culpa, & commutandi reatum pœnæ æternæ, in reatum pœnæ temporalis. Et hæc Potestas in spirituali foro promissa fuit Petro Matthæi 16. ubi dicitur, *Tibi dabo claves Regni cælorum:* & Matthæi 18. promissa fuit omnibus cum dicitur, *Quæcumque alligaveritis*, *&c.* collata vero fuit eis cum dictum est eis Joannis 20. *Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos: & cum hoc dixisset insufflavit dicens, accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata*, *&c.* Et hæc Potestas *secundum aliquos*, cum Potestate consecrationis est una secundum essentiam Potestatis, differens secundum diversos actus, respectu Corporis Christi veri vel mystici: & est complementum Sacerdotalis dignitatis vel Potestatis. Unde in ordinatione

natione simplicium Sacerdotum, & in ordinatione Episcoporum, qui sunt magni Sacerdotes, eadem verba proferuntur: scilicet *Accipite Spiritum sanctum, quorum, &c.*

Tertia, est Potestas sive auctoritas Apostolatus sive prædicationis, quam tradidit eis Dominus dicens Matthæi ultimo, *Euntes ergo docete omnes Gentes, &c.* & Marci ultimo, *Euntes in mundum universum prædicate Euangelium omni Creaturæ, &c.*

Quarta Potestas, est Judiciaria Potestas, scilicet correctionis in foro exteriori, per quam timore pœnæ peccata corriguntur, præcipue quæ sunt in scandalo Ecclesiæ. Et hæc Potestas data est Matthæi 18. ubi dicitur, *Si peccaverit in te frater tuus, &c.* usque ibi, *Quod si te non audierit, dic Ecclesiæ, quod si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus*: ubi dicit Glossa, *objurgatio plurimorum ipsum corrigat*: Et sequitur, *Amen dico vobis quæcumque alligaveritis, &c.* ubi notatur auctoritas discernendi in foro exteriore, cum dicitur, *Dic Ecclesiæ*, scilicet, ut cognoscat: at auctoritas coërcendi seu puniendi per Ecclesiasticam Censuram cum dicitur, *Quod si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, &c.* Cujus confirmationem subjungit dicens, *Amen dico vobis quæcumque, vel quodcumque alligaveritis, &c.* Glossa, *vinculo Anathematis.* Et est signanter considerandum, QUOD IN ISTIS TRIBUS ACTIBUS, SACERDOTES *habent perfectam Potestatem Hierarchisandi populum fidelem*, scilicet, *illuminandi per Doctrinam, purgandi per Correctionem, & perficiendi per Sacramentorum administrationem.*

Potestas Quinta est, scilicet Dispositionis Ministrorum, *secundum quosdam, quo ad determinationem Jurisdictionis Ecclesiasticæ*, ut vitetur confusio. Et hæc collata est Petro & Successoribus ejus Joannis 21. ubi dictum est ei, *Pasce oves meas.* Potestas enim Clavium & Jurisdictionis Potestas, collata erat omnibus æqualiter, & sine determinatione: & poterat quilibet uti ea in quemlibet peccatorem cum effectu: *cum peccator sit debita materia super quam cadit actus Potestatis Ordinis.* Unde & B. Paulus ubique sine determinatione populum hierarchizabat, ut patet in suis Epistolis. Et quia confusio, ut dictum est, inde sequi poterat, ideo Dominus hæc prævidens contulit Petro & Successoribus ejus auctoritatem disponendi Ministros Ecclesiæ, & determinandi Jurisdictionem dicens, *Pasce oves meas*: ut sis Pastor generalis ad quem dispositio & regimen generale ovium & ovilis pertineret: hoc enim nulli alii dictum est. Quidam tamen rationabiliter dicunt, quod non quilibet peccator est materia super quam debet vel potest cadere cum effectu actus

Clavium, & Poteſtas Juriſdictionis: ſed peccator ſubditus: & ideo prædicta Poteſtas non habet effectum in peccatore, niſi ſuppoſita ſubjectione, quæ facit hominem eſſe debitam materiam ſuper quam clavis poteſt habere actum ſuum cum effectu, ſicut Poteſtas Ordinis non habet effectum niſi ſuper panem triticeum. Et hæc Juriſdictio ſive Prælatio data eſt Petro ſuper totam Eccleſiam cum dictum eſt ei, *Paſce oves meas:* id eſt, ſis Paſtor & Prælatus, & Eccleſiam tibi ut Paſtori committo & ſubdo. Unde Theophylactus, *finito prandio commiſſionem ovium Petro commendat, & nulli alii:* Idem dicit Gregorius ſic, *Quamvis omnes Apoſtoli eandem habuiſſent a Chriſto, & æqualem Poteſtatem Clavium & Juriſdictionis, non tamen Juriſdictionem ſive materiam ſubjectam habuit aliquis niſi Petrus & cui committere voluit.* Et ſecundum hanc viam, per illud verbum *Paſce oves meas*, non eſt data niſi Petro Poteſtas determinandi Juriſdictionem prius ab omnibus habitam: ſed Juriſdictio ſoli Petro data eſt, quam tamen poſtea diviſim Dominus aliis dedit, vocans alios in partem ſolicitudinis. Secundum vero primam opinionem, *quod quilibet Epiſcopus non abſolvit extra ſuam diœceſim, hoc eſt ex ordinatione Petri ſeu Eccleſiæ id determinantis & prohibentis:* quia ſine prohibitione alias poſſet, & adhuc ſi faceret teneret factum, cum habeat Poteſtatem ex ſua ordinatione & materiam debitam ſcilicet peccatorem, licet male faceret tranſgrediendo Eccleſiæ ordinationem. Sicut Latinus Sacerdos, verba Sacramentalia proferens ſuper panem fermentatum, conficeret: ſed peccaret tranſgrediendo Eccleſiæ ſuæ ordinationem determinantis ſibi panem azymum. Concordat autem dicta poſitio Dominio rerum temporalium, *ut ſicut appropriatio rerum temporalium eſt ſolum per poſitionem hominum*, qua remota, non poſſum dicere hoc eſt meum, ſed omnia ſunt communia: *Ita amota ordinatione Eccleſiæ, hic populus non plus eſt iſtius Epiſcopi, quam alterius: ſed eſt cujuslibet Sacerdotis, & indifferenter a quolibet poteſt abſolvi.* Appropriatio autem facta eſt per Eccleſiam, ex auctoritate data Petro ibi, *Paſce oves meas.* Secundum vero opinionem aliam quod quilibet Epiſcopus non abſolvat extra diœceſim, non eſt ex Eccleſiæ ordinatione tantum, ſed propter defectum materiæ: quia extra diœceſim non habet populum ſubjectum: unde intendens abſolvere extra diœceſim ſuam & verba proferens ſuper peccatorem non abſolvit: ſicut nec Sacerdos conficeret proferendo verba conſecrationis ſuper lapidem, vel panem non triticeum. Sunt vero tertii, dicentes quod per illud verbum *Paſce oves meas*, data eſt Petro auctoritas

ritas

ritas solum docendi & ædificandi, & Prælatis convenit exequutio. Exequutio autem est eis præcepta cum dictum est, *ite docete, &c.* Unde Glossa, *Pasce oves meas verbo & exemplo, non corporali cibo vel pabulo.*

Alia vero Potestas quæ Sexta est, convenit eis ex debito præcedentium, scilicet Potestas accipiendi necessaria ad congruentem vitæ sustentationem ab iis quibus spiritualia ministrant: & hæc Potestas data est, imo declarata deberi Petro & aliis Apostolis Matthæi 10. ubi postquam dixerat, *Euntes prædicate, &c.* subjunxit qualiter ad temporalia se haberent, dicens, *Gratis accepistis gratis date.* Glossa, *Sicut ego vobis sine precio do talem Potestatem, & vos gratis date, ne Euangelii gratia corrumpatur:* & sequitur, *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris.* Glossa, *Qui alios ad contemptum hortamini divitiarum.* Sequitur, *Neque peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta neque virgam:* Glossa, *Auxilium baculi propriæ necessitatis amputat, ne curent de crastino, qui docent omnia regi a Deo:* & subditur Potestas eis data, cum dicitur, *Dignus enim est operarius cibo suo:* Glossa, *Ecce quare præcepit eis nihil ferre, quia omnia debentur eis:* & alia Glossa ibi dicit: *Tantum necessaria accipite, quantum ad necessitatem sufficit, ut inde securi melius æternis vacetis.* De hac etiam Potestate accipiendi necessaria ad suffragationem vitæ habetur Marci 6. & Lucæ 10. Hæ igitur sunt Potestates quas acceperunt Apostoli a Christo. Aliam autem Potestatem præter prædictas sex non acceperunt ab eo, ut puto, nisi miracula faciendi ad confirmationem fidei: in qua non necessario succedunt eis Episcopi, & Sacerdotes, propter fidei confirmationem sic manifestam, ut jam non indigeat miraculis confirmari.

Codex manuscriptus Bibliothecæ S^t. Victoris sic Caput XIII. continuat conformiter ad divisionem ab Auctore factam in Præfatione hujus operis.

HIs declaratis videndum est quid possint in temporalibus, & super Principes Episcopi & Sacerdotes ex prædictis Potestatibus eis commissis. Et videtur quod de nulla dictarum Potestatum habent directe Potestatem in temporalibus, neque Jurisdictionem temporalem super Principes, nisi quod possint accipere necessaria ad sustentationem vitæ. Quodquidem videndum est per singulas Potestates. De Prima quidem Potestate, quæ est Potestas Consecrationis, evidens est hoc,

hoc, cum ipsa sit totaliter spiritualis, & æqualiter in omnibus Episcopis, & Sacerdotibus, & degradatis, & suspensis: quod patet ex hoc, quod reconciliati iterum non ordinantur. Ex quo manifestum est, quod per talem Potestatem nihil habent Jurisdictionis vel Dominii in temporalibus.

Secunda vero Potestas, scilicet Clavium in foro Conscientiæ, totaliter est spiritualis: unde Joannis 20. *Accipite Spiritum Sanctum, &c.* Glossa Chrysostomi dicit, *Collata fuit eis Potestas spiritualis tantum dimittendi peccata:* nec potest aliquid in temporalibus; nisi cum in foro conscientiæ ad satisfactionem inducit, sicut & ad cæteras pœnitentias corporales. *Ex quo patet, quod nullus est ei subjectus simpliciter, sed sub multiplici conditione, scilicet si peccaverit, & si pœnitere voluerit: & si quidem obedire noluerit, non potest eum coërcere ex prædicta Potestate, sicut Judex secularis potest imponere pœnam pecuniariam vel emendam etiam nolenti, & ipsum ad hoc compellere.*

Tertia vero Potestas seu auctoritas, scilicet prædicationis, omnino est spiritualis, nec omnino habet Dominium, cum non sit Potestas Dominii sed auctoritas Magisterii, sicut Apostolus dicit 2. Timoth. 1. *Positus sum ego Prædicator & Apostolus & Magister Gentium.* Bernardus ad Eugenium lib. 2. *Apostolis seu viris Apostolicis interdicitur Dominatus.* & ibidem, *Domabis Lupos & non Dominaberis ovibus: esto ut alia quacumque ratione hæc tibi vendices:* loquitur de temporalibus, *sed non Apostolico Jure, neque enim tibi ille dare potuit quod non habuit: quod habuit hoc dedit, solicitudinem super Ecclesias: audi ipsum Apostolum Petrum, non sicut Dominantes in Clero sed forma facti gregis.* Per hanc tamen auctoritatem docendi, indirecte possunt in temporalibus, in quantum inducunt homines ad pœnitentiam, & restitutionem æris alieni, & ad erogationem temporalium, secundum quod exigit ordo Charitatis.

De Quarta vero Potestate in foro Judiciali exteriori est tota difficultas: propter quod intelligendum est, quod illa duo importat, scilicet auctoritatem discernendi seu cognoscendi, quæ significatur cum dicitur, *Dic Ecclesiæ*: & Potestatem coërcendi cum dicitur, *Sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.* Hæc enim sunt duæ Claves in foro exteriori. De Prima ergo sciendum quod Judex Ecclesiasticus, ut Ecclesiasticus est, in foro exteriori non cognoscit regulariter, nisi de spiritualibus causis quæ Ecclesiasticæ vocantur, & non de temporalibus, nisi ratione delicti, quod tamen intelligatur quod sit delictum, nec opor-

oportet de hoc facere exceptionem, *cum de nullo delicto cognoscat Ecclesia, nisi secundum quod reducitur ad spirituale & Ecclesiasticum.* Dupliciter enim peccatur in temporalibus, uno quidem modo PECCATO OPPOSITIONIS seu erroris, ut cum tenetur quod usura non est peccatum mortale, vel tenetur quod possumus alienum vendicare quocumque titulo: vel cum circa talia aliquis dubitat an sit licitum vel illicitum secundum Deum: & cum omnia talia determinentur per Divinam Legem, secundum quam habet judicare Judex Ecclesiasticus; non est dubium, quod ad solum Judicem Ecclesiasticum pertinet cognitio talium. Alio modo, PECCATO VENDICATIONIS, detinendo sive impendendo alienum ut suum: & talium cognitio ad Judicem secularem pertinet solum, qui secundum leges humanas seu Civiles judicat, secundum quas fiunt appropriationes rerum & vendicationes, ne res humanis usibus necessariæ negligantur, si omnibus & singulis essent communes: & ne si communes essent ex indistincto, non servaretur pax de facili inter homines. Unde propter hoc facta est rerum hujusmodi appropriatio per Imperatores, ut dicit Augustinus super Joannem & habetur *dist.* 8. *Quo Jure. Tolle*, inquit, *Jura Imperatorum, & non potes dicere, hæc res mea est*: de Jure enim naturali est una omnium libertas, & communis omnium possessio. Et ita de peccato in temporalibus non judicat vel cognoscit Judex Ecclesiasticus, sed secularis tantum, nisi forte aliunde quam a Christo concessum ei fuerit vel permissum. Et hoc notavit Bernardus ad Eugenium dicens, *Non in possessionibus, sed in criminibus Potestas vestra est*, ut supra Cap. 10. Et super illud Matthæi 18. *Ut in ore duorum vel trium stet omne verbum*: dicit Glossa, *Ut probetur illud esse peccatum, si negaverit esse peccatum*: sic enim si non acquiescit dicendum est Ecclesiæ, quæ non aliter judicat de peccato. *Et* 96. *dist. Cap. Duo*, ubi Papa loquitur Imperatori, *Nosti itaque inter hæc, te ex illorum pendere judicio*, scilicet Sacerdotum. Glossa, *quo ad spiritualia*, & hoc etiam notaverunt Summi Pontifices, Extravag. *Qui filii sunt legitimi. Cap. Lator*, ubi dicitur, *quod Judex secularis* sive Dominus quæstionem de hæreditate debet decidere. Et *Cap. Causam*, dicit Papa, *quod ad Regem pertinet non ad Ecclesiam de talibus possessionibus judicare, ne videamur Juri Regis Anglorum detrahere, qui ipsorum judicium ad se asserit pertinere. Et Extravag. de Judiciis Cap. Novit*, dicit Papa, *Non intendimus judicare de Feudo, cujus ad ipsum Regem spectat judicium*, nisi forte Jure communi, &c. *Et Extravag. de Appellationibus* Cap. *Si duobus*,

duobus, dicitur, *quod ad Papam non est appellandum a Judice seculari nisi in terra Ecclesiæ subjecta vel concessa.* Dicere vero quod talia dicunt Summi Pontifices ex humilitate, est omnino perniciosum, & hoc est ponere os in cælum: quia Philosophus hoc attribuit in 4. Ethicorum vitio Ironiæ quæ opponitur virtuti veritatis. Dicit enim, *tales humiles non esse virtuosos, sed timidos & blanditores.* Et Augustinus in lib. de verbis Apostoli dicit sic, *Cum humilitatis causa mentiris, si non eras peccator antequam mentireris, mentiendo peccator efficieris.* Et super Joannem, *Non ita timeatur arrogantia ut veritas relinquatur.* Et Gregorius dicit, *Incauti sunt humiles qui se mentiendo illaqueant.*

De Potestate vero Correctionis seu Censuræ Ecclesiasticæ sciendum est, quod non est nisi spiritualis directe, *quia nullam pœnam in foro exteriori potest imponere nisi spiritualem, nisi sub conditione & per accidens.* Licet enim Judex Ecclesiasticus habeat homines in Deum reducere & a peccato retrahere, & corrigere, *hoc tamen non habet nisi secundum viam a Deo sibi datam, quæ est separando a Sacramentis & participatione fidelium, & hujusmodi ad Censuram Ecclesiasticam pertinent:* & dicitur nisi sub conditione, scilicet, si quis pœnitere velit, & pœnitentiam pecuniariam seu corporalem acceptare: non enim potest Judex Ecclesiasticus ratione delicti imponere pœnam corporalem vel pecuniariam, sicut facit Judex secularis, sed solum, si ille velit eam acceptare: si enim non vult eam acceptare, *compellet eum Judex Ecclesiasticus per excommunicationem, vel aliam pœnam spiritualem, quæ est ultima quam potest inferre, nec ultra potest aliquid facere nisi, dico, per accidens:* quia si esset Princeps hæreticus & incorrigibilis, & contemptor Ecclesiasticæ Censuræ, posset Papa aliquid facere in populo: & hoc faceret Papa in crimine Ecclesiastico, cujus cognitio ad ipsum pertinet, excommunicando omnes qui ei ut Domino obedirent: & sic populus ipsum deponeret, & Papa per accidens. Sic etiam e converso, si Papa esset criminosus, & scandalizaret Ecclesiam, & incorrigibilis esset, Princeps posset ipsum excommunicare indirecte, & deponere ipsum per accidens, monendo ipsum per se & per Cardinales. Et si quidem Papa acquiescere nollet, posset aliquid Princeps facere in populo, unde compelleretur cedere; vel deponeretur a populo: quia Imperator posset sub hypotheca rerum vel pœna corporum inhibere omnibus & singulis ut nullus ei obediret, vel serviret ut Papæ: & hoc quidem uterque in alterum. Nam uterque scilicet Papa & Imperator universalem & ubique habent Jurisdictionem: sed ille spiritualem, iste tem-

temporalem: & tamen in hoc distinctio est adhibenda: quia ubi Rex delinqueret in spiritualibus, scilicet in fide, matrimonio, & aliis hujusmodi quorum Jurisdictio ad Judicem Ecclesiasticum pertinet, Papa habet ipsum monere, & si ipse inveniatur pertinax, & incorrigibilis, potest ipsum excommunicare, & ultra non potest plus, nisi per accidens: quia si fuerit contemptor, potest facere in populo ut dictum est. Ubi vero Rex peccaret in temporalibus quorum cognitio ad Judicem Ecclesiasticum non pertinet, tunc non habet ipsum Papa corrigere primo, sed Barones, & Pares de Regno: qui si non possunt, vel non audent, possunt invocare auxilium Ecclesiæ: quæ requisita a Paribus in juris subsidium, potest monere Principem & procedere contra ipsum modo prædicto. Similiter vero ubi Papa delinqueret in temporalibus, quorum cognitio ad Principem secularem pertinet, ut si mutuaret ad usuram, vel mutuantibus faveret, & præcipue in iis quæ per leges civiles sunt prohibita, Imperator, si esset, haberet ipsum primo corrigere, immediate monendo, & postea puniendo. Nam ad Principem pertinet omnes malefactores corrigere primo Jure, Romanorum 13. *Non enim sine causa gladium portat, Minister enim Dei est, vindex in iram ei qui malum agit.* Glossa super illud Roman. 13. *Ideoque tributa præstatis, dicit, quod ad hoc instituti sunt ut boni laudentur, mali vero puniantur.* Et Hieronymus super Hieremiam, & habetur 23. *quæst.* 5. *Regum Officium est proprium, facere Judicium & Justitiam, & liberare de manu calumniatorum vi oppressos, & peregrino, pupilloque & viduæ, qui facilius opprimuntur a potentioribus, præbere auxilium.* Unde commendabiliter Henricus Imperator, duos de Papatu altercantes non solum Canonica Censura, sed Imperiali auctoritate deposuit, ut legitur in Chronicis Romanorum. Et dicitur quod primo Jure habet Imperator ratione delicti præcipue civilis Papam immediate corrigere: *quia de Privilegio a Principibus indulto, Clerici non nisi per suos Episcopos judicantur:* quod Privilegium primo impetravit Julius Papa qui secundus fuit post Sylvestrum adhuc Constantino vivente, ut dicitur in Chronicis. Quidam tamen dicunt hoc eis deberi Jure divino, & non Privilegio Principum, juxta illud Psalmi, *Nolite tangere Christos meos*, quod ipsi exponunt de Sacerdotibus. Alii tamen exposuerunt de Regibus qui tunc ungebantur. Et sic legitur 2. Regum 1. David interfecit illum qui dicebat se interfecisse Christum Domini, id est, Saulem. Si vero in spiritualibus delinquat Papa, conferendo beneficia Ecclesiastica Simoniace, Ecclesias dissipando, privando personas Ecclesiasticas &

Capitula juribus ſuis, vel etiam male docendo & ſentiendo & determinando circa ea quæ ad fidem & bonos mores pertinent, tunc primo monendus eſſet a Cardinalibus, qui ſunt loco totius Cleri, & ſi incorrigibilis eſſet, nec poſſent per ſe amovere ſcandalum de Eccleſia, tunc in ſubſidium Juris haberent ſupplicando invocare brachium ſeculare: & tunc Imperator requiſitus a Cardinalibus, cum ſit membrum Eccleſiæ, deberet procedere contra Papam, ex quo Eccleſia non habet gladium ſecularem alio modo: non quidem manu nec juſſu, ſed nutu & ſupplicatione, ut dicit Bernardus ad Eugenium: ſic etiam duo gladii mutuo ſe juvare tenentur ex communi charitate, quæ membra Eccleſiæ unit: colligitur hoc *diſt. 96. Cum ad verum. &* 23. *quæſt.* 5. *Principes.* & Capitulis ſequentibus. Et ſic legimus in Chronicis quod Conſtantinus II. qui poſt ambitionem Papatus cum feciſſet multa Eccleſiæ ſcandala per Principes eſt depoſitus, & zelo fidelium oculis eſt privatus. Similiter Joannes XII. cum eſſet Venator & Lubricus, frequenter de ſua correctione admonitus, nec correctus, per Imperatorem & Clerum de Papatu depoſitus eſt, cui adhuc viventi ſucceſſit Leo Papa. Sic etiam 4. Regum legitur, quod cum Sacerdotes reciperent oblationes a populo pro reparatione ſartorum tectorum Templi, nec ea repararent, Rex Joas prohibuit populo ne ultra offerrent, & poſuit famulos ex parte ſua qui oblata reciperent, & ſic de pecunia reparavit ſarta tecta Templi & pecuniam diſtribuit operariis.

Ex quibus patet, *Quod tota Cenſura Eccleſiaſtica eſt ſpiritualis, ſcilicet excommunicando, ſuſpendendo, interdicendo: nec aliquid ultra poteſt Eccleſia, niſi indirecte & per accidens*, ut dictum eſt. Et quod tota Cenſura Eccleſiaſtica ſit ſpiritualis, patet etiam per hoc quod dicitur Matthæi 18. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus.* Gloſſa, *Ut objurgatio plurimorum ipſum corrigat.* Et ſequitur, *Amen dico vobis quæcumque legaveritis, &c.* Gloſſa, *Vinculo anathematis.* Chryſoſtomus ibidem, *Vide qualiter incorrigibilem duplicem duplicibus alligavit neceſſitatibus, pœna ſcilicet quæ eſt hæc, ſcilicet projectione ab Eccleſia, quam notavit cum dicit, ſit tibi quaſi Ethnicus & publicanus: & ſupplicio futuro; quod eſt ligatum eſſe in cælo, ut multitudine Judiciorum corrigatur culpa fratris.* Hæc eſt ſententia Apoſtoli primæ Corinthior. 5. dicentis, *Is qui frater nominatur inter vos, & eſt fornicarius, aut avarus, aut idolis ſerviens, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax, cum hujuſmodi nec cibum ſumite.* Ecce quod ultra excommu-

municationem non procedit Apostolus, etiam in culpis gravibus, & instruens omnes Episcopos Cap. 3. ad Titum, *Hæreticum hominem post unam & secundam correptionem devita, sciens quia subversus est qui ejusmodi est.* Ubi nota quod non dicit, COMBURE, SED DEVITA. Ex quibus patet quod prædicta Potestas est spiritualis: nec Principes ratione hujus sunt Papæ subjecti, nisi ut supra dictum est.

Similiter de Potestate Petro tradita per illud verbum, *Pasce oves meas*, patet quod est spiritualis tantum, & nihil ad Principes de ea qualitercumque exponatur, scilicet primo vel secundo vel tertio modo.

Sexta vero Potestas, scilicet accipiendi necessaria ad debitam vitæ sustentationem est temporalis, & magis debet dici jus quod eis debetur in stipendium vitæ in quo non sunt Principes subjecti, sed solum debitores, sicut cæteri fideles, qui ab eis spiritualia recipiunt. Et licet hoc sit eis debitum, tamen hoc jus non petebant Apostoli per modum auctoritatis, sed per modum supplicationis: hoc tamen potest Papa decernere debitum eis esse, & ipsi possunt hoc petere secundum debitam facultatem possessionum, & etiam per Censuram Ecclesiasticam potest Papa interdum rebelles compellere ad reddendum.

CAPUT XIV.

RESPONSIONES AD PRIMUM SENARIUM ARGUMENTORUM, QUIBUS PROBATUR POTESTATEM POLITICAM PENDERE A PAPA.

Locum Hieremiæ Cap. 1. spiritualiter esse intelligendum de Christo & ejus membris, qui Regnum diaboli destruunt in obsequium fidei & Regni cælestis ædificationem, maxime gladio spirituali, quod est verbum Dei. Secundo, facultatem ligandi & solvendi spiritualiter a peccatis concessam esse Petro, minime vero solvendi a vinculo obligatione & subjectione temperali. Tertio, quando Apostolus dicit futurum ut Angelos judicemus, æque Laicis credentibus in Christum quam Clericis loqui, unde ille locus nihil privatim favet Ecclesiasticis. Quarto, argumentum a Solis & Lunæ comparatione nullius est momenti, quia ducitur a similitudine allegorica, & mystico sensu. Quinto, Zacharias Papa Regem Francorum non deposuit, sed duntaxat deponentibus assensum, & consilium præbuit: deinde vero, quæ ex certa devotione & pietate erga Papam & Ecclesiam aliquando libere facta sunt, nihil conducunt ad aliquid juridice & dogmatice probandum. Sexto, testimonium Nicolai Papæ pro seipso, quod Papa simul habeat cælestis & terreni Iura Imperii, nullius est ponderis, nisi spiritualiter intelligatur de Potestate ligandi & solvendi in cælo & in terra, clave non errante.

QUod ergo Primo dicitur de Hieremia, *Ecce constitui te super gentes & regna*, respondetur quod dupliciter exponitur. Aliqui dicunt hoc fuisse dictum in persona Christi, eo quod Hieremias interpretatur *excelsus Domini*: sic enim de Salomone multa dicuntur, quæ tamen verificata fuerunt de Christo per Salomonem significato, ut dicit Augustinus 18. de Civitate Dei. Ipse ergo Christus per Hieremiam significatus positus est super Gentes & super Regna mundi, & diaboli, dum in excelso montis positus ea sibi oblata contemsit: vel super ea positus est in membris suis, qui fide sibi adhærentibus, Regum & Regnorum sævitiam vicerunt, patiendo, fidei constantia armati, juxta illud, *Sancti per fidem vicerunt Regna*; & illud Salomonis, *Melior est patiens viro forti*: vel si de persona Hieremiæ intelligatur, constat quod nullum Regem ex quacumque causa de solio deposuit. Sed intelligitur positus super Gentes & Regna, quasi habens auctoritatem super ea, in annunciando & prædicando vera, sicut dictum est de David & Christo in Psalmis: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum sanctum ejus.* Licet etiam positus fuerit super Gentes & Regna, vincendo per patientiam, cum in manu acceperit calicem plenum vini meri, & propinare jussus sit in omnibus nationibus: unde sequitur, *ut evellas*: Glossa, *Mala, & destruas & disperdas & dissipes*, interlinearis, *Regna diaboli, & ædifices*, intellige, *Ecclesiam, non scandalizes: & plantes, intellige, bona*: sic exponitur a sanctis, non de evulsione & destructione Regum mundi, & subrogatione aliorum: sed de destructione vitiorum, & plantatione fidei & morum: sicut accipitur illud primæ Corinthior. 3. *Dei ædificatio estis, Dei agricultura estis.* Et etiam dicitur fuisse, *de Sacerdotibus qui fuerunt in Anathoth*, quod interpretatur Responsio: quia hoc magis faciunt Sacerdotes de fide & moribus respondendo, quam de potentia seculari dominando: ideo etiam ibi præmittitur, *quod tetigit Dominus os suum, & dedit verba in ore ejus*: quia per prædicta, magis habent facere Sacerdotes verbo & doctrina ut Magistri, quam manu & Potentia ut Domini. Et confirmatur hæc expositio per Bernardum ad Eugenium Papam secundo libro, ubi exponit qualis est Papalis Principatus: *Accingere*, inquit, *gladio tuo, gladio scilicet spiritus quod est verbum Dei*: & infra, *Sic enim domabis Lupos, & non dominaberis Ovibus.*

Quod dicitur Secundo, *Quodcumque solveris super terram, &c.* Respondeo secundum Chrysostomum & Rabanum, per hoc non intelligitur aliqua Potestas data nisi spiritualis, absolvendi scilicet a vin-

culo

culo peccatorum. Stultum autem esset intelligere, quod per hoc datur Potestas absolvendi a vinculo debitorum. Amplius, secundum Hieronymum, *Non est intelligendum hanc Potestatem habere effectum clave errante.* Unde dicit, *Quod Presbyteri & Episcopi hunc locum non intelligentes aliquid sibi assumunt de Pharisæorum supercilio, ut vel damnent innocentes, vel solvere se noxios arbitrentur: cum apud Deum non sententia Sacerdotum, sed reorum vita quæratur.* Et hoc declarat ibidem Hieronymus per exemplum quod ponit de Sacerdotibus Veteris Legis, qui non mundabant vel mundos faciebant, sed ex officio suo mundos & immundos judicabant. Richardus etiam de Sancto Victore in libro de Remissione peccatorum Cap. 8. exponit illud dicens, *Non dicit Dominus quodcumque volueris ligare & solvere, sed quodcumque ligaveris & solveris: ligat autem & absolvit Sacerdos sententia justa non injusta.*

Quod autem Tertio dicitur, *Nescitis quoniam Angelos judicabitis, &c.* Responsio secundum Ambrosium & alios sanctos Expositores, Apostolus loquitur non Clericis specialiter, sed generaliter fidelibus, qui eligebant in causis secularibus Judices infideles in scandalum fidei nostræ, & quasi inter fideles non esset sapiens ad judicandum, & hoc merito reprehendit.

Quod vero dicitur Quarto, *Fecit Dominus duo luminaria, &c.* Mystica est expositio: secundum Dionysium autem mystica Theologia, non est argumentativa nisi accipiatur ejus probatio ex alia Scriptura. Amplius, prædicta mystica expositio in sanctis non invenitur sed forte contraria: unde dicit Isidorus super Genesim in Glossa, quod per Solem intelligitur Regnum, & per Lunam intelligitur Sacerdotium: unde dicit, *Splendor siquidem Solis Regni figurat excellentiam, plebem obtemperantem Regi, Lunæ splendor ostendit tanquam Synagogam: stellæ vero Principes ejus sunt, & omnia fundata in Regni stabilitate tanquam in firmamento.*

Dato etiam quod ita sit, sicut assumitur, pro nobis est: nam licet Luna non illuminet noctem nisi lumine quod accipit a Sole, tamen Luna habet virtutem propriam a Deo sibi datam, quam a Sole non habet, ut quod infrigidet & humectet, cujus contrarium facit Sol: & sic est in proposito suo modo. Nam Princeps illuminationem & informationem de fide habet a Papa, & Ecclesia: tamen Potestatem habet sibi propriam & distinctam, quam non habet a Papa, sed a Deo immediate.

Quod autem dicitur Quinto, quod Zacharias Papa deposuit Regem Fran-

Francorum, & instituit loco ejus Pipinum, &c. Glossa ordinaria exponit, *deponentibus concessit.* Non enim legitur quod Zacharias Regem Franciæ deposuerit: sed legitur in Chronicis quod Childericus regnabat in Francia totus deses & remissus. Pipinus vero solus gubernabat Franciæ Principatum, & Major domus dicebatur, Carolo fratre suo existente Monacho. Miserunt ergo Barones ad Zachariam Papam, ut discerneret de eorum dubio, quis scilicet potius deberet esse Rex, an ille qui ocio deditus solo nomine regebat: an ille qui omne pondus Regni sustinebat? Quibus cum respondisset Papa, quod ille qui Regni gubernacula utilius regeret: quare Franci mox incluso Rege Childerico & uxore sua in monasterio, sibi Pipinum Regem constituerunt: & ipsum sanctus Bonifacius Moguntinus Archiepiscopus unxit in Regem, sicut habent Chronica Martini. Aliorum autem Chronica habent quod postquam Childericus quatuor annis regnavit, ex devotione in Monachum est tonsuratus: & tunc Pipinus Princeps in Regem est inunctus electione Baronum, & auctoritate Papæ decernentis super dubio Procerum, quod etiam facere potuissent sine Papæ assensu ex causa rationabili. *Ex quibus patet, quod Papa nunquam Regem Franciæ deposuit, nisi exponatur, id est, deponentibus consensit*, sicut exponit Glossa, *Nec oportet ex talibus factis singularibus quæ interdum ex devotione ad Ecclesiam vel personam, vel ex favore vel ex causa alia, & non ex debito juris fiunt, argumenta sumere:* cum legatur in iisdem Historiis, quod Bonifacius IV. Romanæ Ecclesiæ Præsidens obtinuit apud Phocam Imperatorem ut Ecclesia Romana esset Caput omnium Ecclesiarum: quia Ecclesia Constantinopolitana scribebat se esse primam omnium. Ex quo posset modo consimili sumi Argumentum, quod ad Imperatorem pertineret primatum Ecclesiarum transferre, & de Ecclesiis ordinare. Legitur etiam a Sozomeno scriptum in Tripartita Historia, quod Constantinus Imperator Concilio Clericorum intererat: quod etiam Eusebius narrat in Ecclesiastica Historia: ubi etiam dicit quod cum ex omnibus fere locis Episcopi congregati essent diversis ex causis, & jurgia inter se quædam detulissent, frequenter appellabatur, & a singulis libelli offerebantur: At ille videns quod per hujusmodi jurgia causa summi nogotii frustraretur, diem certum statuit, qua unusquisque Episcoporum si quam querimoniarum habere videretur deferret: & hoc facto cum resedisset, suscepit a singulis libellos: quos simul omnes in sinu suo continens, nec in eis quid contineretur aperiens, ait ad Episcopos, *Deus vos Sa-*

cerdotes constituit, ac Potestatem vobis dedit de nobis judicandi & nos recte a vobis judicamur: vos autem qui nobis a Deo dati estis dii, non potestis ab hominibus judicari: quia non est conveniens, quod homo de Deo judicet: sed Dei inter vos expectate judicium: de quo scriptum est, Deus stetit in Synagaga Deorum, &c. His ergo omissis jurgiis, ea quæ ad hoc sunt distinguite. Cumque hoc dixisset omnes simul querimoniarum libellos jussit exuri. Nunquid ergo propter hoc ad Principem pertinet interesse Conciliis Episcoporum, & dissensiones & causas eorum modo consimili determinare, an non? Hugo etiam Floriacensis lib. quinto dicit: quod Constantinus sanxit & instituit in Testamento suo, *Ut omnia quæ ad Ecclesiasticum pertinent ordinem Romani Episcopi judicio dispositionem recipiant:* Et in Epistola Constantini ad omnes Catholicos Episcopos, quam scripsit Dominus Beatus Isidorus, dixit Constantinus Imperator, *Decernentes sancimus ut Romana Sedes Principatum obtineat super quatuor Sedes præcipuas, Antiochenam, Alexandrinam, Constantinopolitanam, Hierosolymitanam: & in Testamento ejusdem Constantini quod Ecclesia sancta tam gratanter ordinat, quod Pontifex Romanus pro tempore quicumque fuerit, excelsior cunctis mundi Sacerdotibus existat: & quæcumque ad cultum Dei vel Christianorum, fideique stabilitatem procuranda sunt disponat.* Nunquid ergo dicimus propter talia, quod Ecclesia Romana habet ab Imperatore primatum Ecclesiarum, vel super Ecclesias & dispositionem earum? Absit. Amplius, in primo Concilio Hierosolymitano super quæstione legalium, legitur, quod post multam disceptationem hinc inde, postquam Petrus surgens ratione ostendit jugum Legis fidelibus non esse imponendum. Jacobus auctoritate Pontificali protulit disinitivam sententiam: quia quæstio illa mota erat in Ecclesia Hierosolymitana, cujus erat Episcopus: nec poterat ad alterum transferri, nisi per appellationem, & ita inquit Jacobus, *Judico non inquietari eos qui ex Gentibus convertuntur ad Deum, &c.* Dicemus ergo, quod licet Romana Ecclesia sit Caput, quod non habet talem exercere Jurisdictionem, nisi in casu appellationis, in Ecclesiis cæterorum Episcoporum? Absit. Legitur etiam quod tempore Henrici Imperatoris Romani juraverunt non se Papam electuros sine Imperatoris assensu. Est igitur hoc observandum? Constat quod non. Hæc autem induxi, ut appareat quia non oportet ex talibus factis singularibus, quæ variis causis fieri possunt, argumenta juris sumere.

Quod vero Sexto arguitur de Nicolao Papa dicente, *Quod Christus Petro cælestis terrenique Imperii jura concessit.* Respondeo, ubi quæritur

tur de Poteſtate Papæ in temporalibus, efficax eſt Teſtimonium Imperatoris pro Papa: & non eſt multum efficax Teſtimonium Papæ pro ſe ipſo, niſi dictum Papæ fulciatur auctoritate Scripturæ Sacræ, & Canonicæ, & præcipue in materia ubi Imperator dicit contrarium manifeſte, ut etiam cæteri Pontifices: unde in propoſito non recipitur tale dictum. Poteſt tamen verbum Domini Nicolai Papæ habere intellectum verum multipliciter. Uno modo, quia pro communi utilitate boni ſpiritualis, modo ſuperius dicto poſſet indicere collectam a fidelibus faciendam, non ſolum de bonis Clericorum, ſed etiam de bonis Laicorum. Secundo modo poteſt accipi vel intelligi, quod Dominus Petro dedit jura cæleſtis terrenique Imperii, in quantum dedit ei Poteſtatem abſolvendi & ligandi: cujus ſententia abſolutioque & ligatio Clave non errante approbatur in cælis: ſicut exponitur illud verbum ſibi dictum in traditione Clavium, *Quodcumque ligaveris ſuper terram, &c.* Et ita exponunt Gloſſæ Matthæi 16. Nec videtur quod Dominus Papa aliunde dictum verbum acceperit, niſi ab illo verbo Domini ad Petrum, *Et tibi dabo claves Regni cælorum:* præcipue cum dicat Dominus Papa, *Quod beato Petro clavigero terreni ſimul & cæleſtis Imperii, &c.* Quaſi alludens verbis quibus Petro commiſſa eſt Poteſtas. Et ideo cum ſancti per illud verbum non dent Petro Poteſtatem aliam quam ut dictum eſt, Poteſtatem ſcilicet ſpiritualem, ut dicit univerſitas expoſitorum ibidem, & Matthæi 18. non eſt tenendum quod Dominus Papa aliud intendat. Poſſet etiam aliter Tertio verificari dictum Domini Papæ, quod ideo dicitur Chriſtus dediſſe Petro Jura cæleſtis & terreni Imperii, &c. Quia ei dedit ſpiritualem Poteſtatem conjungendi cives terreni Regni civibus Regni cæleſtis, ſub quo ſenſu loquitur de Chriſto Maximus in ſermone Epiphaniæ dicens, *hic eſt Rex ille magnus, qui venit cæleſti Imperio ſociare terrenum.* Inveniuntur etiam quidam Juriſtæ verbum Nicolai Papæ exponere ſic, Petro conceſſit Chriſtus Jura cæleſtis & terreni Imperii, id eſt, Jus imperandi cæleſtibus, & terrenis nimirum Clericis & Laicis, qui ſunt etiam duo parietes Eccleſiæ, quibus ambobus Summus Pontifex in ſpiritualibus noſcitur imperare.

CAPUT XV.

Confutatio Secundi ſenarii argumentorum de Poteſtate Papæ. Septimo Sacramentum quod Papa exigit ab Imperatore, nihil ei confert Iuriſdictionis in Imperatorem ut Imperator eſt, ſed ratione dynaſtiarum quas tenet in feudum ab Eccleſia Romana. Octavo, depoſitio Imperatoris quæſtio eſt facti non Iuris, hic autem quæritur non quid agatur ſed quid agi debeat. Nono, idem pariter eſt Iudicium de tranſlatione Imperii, & Conſtantini donatione: quamquam certum ſit

Papam

Papam nihil dediſſe Carolo Magno præter nomen, idque factum eſſe totius populi Romani conſenſu & acclamatione, non a ſolo Papa: Carolus autem Magnus jampridem armis ſibi Imperium ſubegerat & comparaverat. Decimo, Papa ſolummodo legitimat ad obtinendos gradus Eccleſiaſticos: in temporalibus autem minime, niſi in terris patrimonii Eccleſiæ. Undecimo, quæſtio eſt facti abſolutio a Sacramento fidelitatis, quæ non tenet quandiu naturalis obligatio manet, quam Papa tollere nequit: poteſt tamen de obligatione liratoria bona fide diſpenſare. Duodecimo, ad eum ſpectat ſolummodo cognoſcere de peccato erroris, non vendicationis, & poſſeſſionis.

QUod autem dicitur Septimo, quod Imperator jurat Papæ: Reſpondeo, Imperator Otho non juravit Papæ, niſi de Regno Siciliæ, quod ab ipſo ſeu ab Eccleſia ſuſcepit in feudum. Juravit etiam reddere terram Sancti Petri ſi quam tenebat: ſed nihil facit ad cæteras partes mundi, vel quæ non ſunt de Imperio, vel quæ non cadunt ſub donationem Conſtantini.

Quod dicitur Octavo, quod Papa deponit Imperatorem: Reſpondeo, verum eſt, illum quem ipſe poſuit, quia ab ipſo accepit feudum, & ex cauſa rationabili: tamen iſta argumenta ſunt de facto, & dicunt quid factum ſit, non tamen quid fieri debeat. Et contrario autem multa argumenta poſſunt fieri de facto, ut dictum eſt in ſolutione Quinti Argumenti.

Quod vero dicitur Nono, quod Papa tranſtulit Imperium, poſſet ſolvi ſicut prius: poteſt nihilominus dici quod Conſtantinus nunquam dedit Imperium Eccleſiæ ſimpliciter: ſed dedit urbem, & quaſdam Provincias Occidentales, & ſigna Imperialia, ut de ipſis Provinciis diſponeret, ſedemque ſuam tranſtulit Conſtantinopolim cum tota dignitate Imperii.

Quod vero dicitur, quod Papa Imperium de Græcis tranſtulit ad Germanos: Reſponſio, non tranſtulit veritatem ſed nomen: quia indignabantur Romani quod Imperium vel Imperii nomen ab eis Conſtantinopolim erat tranſlatum: & ideo Carolo, quem pro ſua defenſione vocaverant, Victoriis habitis laudes acclamaverunt, & Imperatoris ei nomen dederunt. Et ex tunc fuit quaſi diviſum Imperium, dum duo dicerentur Imperatores. Amplius, non fuit factum per ſolum Papam, ſed populo acclamante, & faciente, cujus eſt ſe ſubjicere cui vult ſine alterius præjudicio. Ideo hoc fuit factum ex cauſa neceſſaria pro ſui defenſione, ut monſtratum fuit, & perſuaſum Conſtantinopolitano Imperatori per Angelum in ſpecie militis armati ſibi apparentem: quæ autem lege privata dicuntur, nulla ratione eſt ut lege publica confirmentur. Hæc vero omnia ad factum pertinentia decla-

declarantur in lib. de Coſmographia, & in Chronicis Hugonis Floriacenſis lib. quinto, & in Chronicis Sigeberti. Quicquid autem de hoc factum ſit, Papa non ordinavit, niſi de eo quod ſibi a Conſtantino collatum fuerat, quod concedo fieri poſſe de Jure.

Quod autem dicitur Decimo, quod Papa legitimavit in temporalibus: Reſpondeo, diſpenſare poteſt in temporalibus in terra propria, ubi habet Juriſdictionem: alibi vero non, niſi per conſequentiam, ut notat Joannes Andreæ. Vel ut melius, quod nec etiam per conſequentiam poteſt in terra non ſubjecta ſibi: & ponit Richardus, *quod diſpenſando in ſpiritualibus diſpenſat per conſequentiam & indirecte in temporalibus in terra ſubjecta, ubi concedendo majus, intelligitur concedere minus, quando utrumque poteſt; ſed extra non poteſt, niſi in ſpiritualibus legitimare.* Et ſic notat Gloſſa ordinaria ibidem. Tento tamen quod ſi aliqui ſunt illegitimati, quia nati ex matrimonio perſonarum illegitimarum ad contrahendum matrimonium ex prohibitione Eccleſiæ, Papa poteſt cum talibus ubique diſpenſare, & eos legitimare in ſpiritualibus & temporalibus, in quantum poteſt illud matrimonium ratificare, & perſonas legitimas facere ad contrahendum. Si vero fuerint illegitimi ex matrimonio perſonarum illegitimarum ad contrahendum ex Jure naturali vel divino, non poteſt diſpenſare ubique cum eis in temporalibus eos legitimando.

Quod vero dicitur Undecimo, quod Papa aliquando abſolvit milites a juramento fidelitatis, dicitur ad hoc quod eſt argumentum de facto. Quod autem introducitur de Francigenis: Reſpondeo, quod illud fuit magis declaratio Juris, quod ſcilicet juramentum in tali caſu non ligabat, quam abſolutio a juramento fidelitatis. Hoc enim fuit factum de conſenſu Regis, qui forte conſcius de ſua ineptitudine, volens orationi vacare Monachicam ſeu monaſticam vitam elegit, in quo caſu Barones potuerunt ad alterius electionem procedere, prout fuit per Papam declaratum & conſultum. Conſiderandum tamen eſt, quod Vaſſallus duplici Vinculo obligatus eſt Domino ſuo naturali, ſcilicet ratione rei quam accepit a Domino cum honore Vaſſalliæ, & ſub determinata conditione, & Vinculo juratorio: a naturali vero Vinculo non poteſt abſolvere Papa, licet poſſet declarare quod in tali caſu, ſcilicet ubi Princeps eſſet hæreticus, non tenetur Vaſſallus Dominum ſequi: ſed debet ſe deobligare, & reddere feudum: ſed de obligatione juratoria poteſt ex cauſa rationabili & evidenti, & bona fide diſpenſare, & non aliter tenet deobligatio apud Deum: quia

Papæ, ut dictum est supra, non est collata Potestas in destructionem, sed ad ædificationem. Quicquid tamen sit de juramento, semper manet obligatio naturalis quæ rem sequitur, nisi reddatur feudum.

Quod dicitur Duodecimo, quod Papa habet cognoscere de omni delicto: Respondetur; patet ex prædictis Cap. 13. quia verum est ubi quæstio movetur de peccato, an scilicet hoc sit peccatum vel non peccatum, licitum an illicitum: hoc enim determinatur ex naturali vel divino jure: & sic cognoscit ut Ecclesiasticus: non autem cognoscit de peccato vendicationis quæ determinatur secundum leges humanas. Vel intelligitur Papam cognoscere de omni delicto in foro conscientiæ, ubi debet credere confitenti.

CAPUT XVI.

Confutatio Tertii senarii argumentorum. Decimo tertio, Ecclesia aut **Papa** *nullam habet Iurisdictionem temporalem ex denunciatione injuriæ aut peccati quod defertur Papæ. Decimo quarto, genuinus sensus hujus loci declaratur*: si peccaverit in te frater tuus dic Ecclesiæ, *& nomine Ecclesiæ ostenditur, non solum Prælatum sed etiam Cœtum fidelium & continuo Principem Politicum etiam intelligi. Decimo quinto, lex Theodosii de eligendo Iudice Ecclesiastico demonstrat, Ecclesiam hoc usam Privilegio liberalitate Christianorum Principum. Decimo sexto, explicatur caput* 17 *Deuteronomii: & innuitur quo in casu a seculari Iudice ad Ecclesiasticum recurri oporteat. Decimo septimo, hoc effatum*, qui potest majus, potest & minus, *de rebus potentiæ subordinatis capi debet: nam homo ratiocinatur & tamen volare non potest, quod est minus. Decimo octavo, Temporalia ordinantur ad spiritualia tanquam dirigibile ad directivum, aut minus dignum ad dignius, minime vero tanquam effectus ad causam efficientem.*

QUod vero dicitur Decimo tertio, de Denunciatione. &c. Respondetur; Denunciationem non dare Papæ Jurisdictionem: quia sic ex toto posset adnihilari Jurisdictio Principum, cum omnis causa Papæ posset denunciari a parte: sed ut dicit Papa ibidem, *Non intendit judicare de Feudo, cujus ad ipsum Regem Francorum spectat judicium, nisi forte juri communi per speciale Privilegium, vel contrariam consuetudinem aliquid sit detractum: sed decernere de peccato cujus ad ipsum Papam pertinet sine dubitatione censuræ*, sicut ipse dicit: & ad hoc vadunt probationes quas adducit.

Quod vero dicitur Decimo quarto, *Si peccaverit in te, &c. dic Ecclesiæ.* Responsio: Chrysostomus exponit, *Ecclesiæ, id est, iis qui Ecclesiæ præsident.* Si vero Ecclesia accipiatur non solum pro congregatione Clericorum, sed generaliter vocetur Ecclesia Communitas fidelium: sic Ecclesiæ præsunt & Ecclesiasticus Judex in spiritualibus, & secu-

ſecularis in temporalibus, vel poteſt dici quod loquitur quando eſt quæſtio de peccato: unde dicit Gloſſa ſuper illud, *ut in ore duorum vel trium*, &c. *Si dixerit non eſſe peccatum, ut probent illud eſſe peccatum: ſic enim ſi non acquieverit dicendum eſt Eccleſiæ, quæ judicat de peccato.*

Quod dicitur Decimo quinto de Theodoſio: Reſpondeo, ſicut notant Juriſtæ, lex illa Theodoſiana abrogata eſt, quia ratio legis non viget: cujus rationis notitia utilis eſt, ut ſciatur quantam devotionem habuit Legiſlator erga Eccleſiam: & hoc ad oſtendendum inſeritur in corpore Decretorum *XI. quæſt.* 1. *Cap. Quæcumque contentiones.* Amplius, etiam poſſumus attendere quod ex ſtatuto Principum contingere poteſt quod Judex Eccleſiaſticus de talibus cognoſcat: ſed ſi de ſtatuto Principum ei convenit, non poteſt concludi, quod ei conveniat ſecundum ſe ut eſt Chriſti Vicarius: ſed imo contrarium poſſet concludi: & poſſet dici quod Principes poſſent, licet non deberent ab Eccleſiaſticis Judicibus ſua Privilegia & gratias anteceſſorum ſuorum revocare: ſicut e converſo Pontifices revocant vel revocare poſſunt gratias ſuas a Principibus.

Quod autem dicitur Decimo ſexto, de illo verbo Deuter. *Si difficile, &c.* unus caſus eſt ſpecialis in quo recurri poteſt a ſeculari Judice ad Eccleſiaſticum: ſcilicet ſeculari dubitante præcipue ubi eſt quæſtio de peccato: vel dicendum quod non remittitur ad Sacerdotem tantum, ſed etiam ad Judicem qui fuerit pro illo tempore: per quem intelligitur Judex ſecularis, ut unus judicet in cauſis ſpiritualibus, alius vero in temporalibus. Unde ſignanter dicit, *ad Sacerdotes Levitici generis, & ad Judicem, &c.* & ita exponit Gloſſa.

Quod vero Decimo ſeptimo dicitur, *Papa poteſt majus*, &c. iſtud eſt verum in majori & minori ſubordinatis per ſe: ut ſi Epiſcopus poteſt ordinare Sacerdotem, ergo & Diaconum: non autem tenet in iis quæ ſunt diverſi ordinis vel generis: ut ſi pater meus potuit generare hominem, ergo & canem: vel ſi Sacerdos poſſit aliquem abſolvere a peccato, quod poſſit eum abſolvere a debito pecuniæ.

Quod autem dicitur Decimo octavo, quod temporalia ordinantur ad ſpiritualia, &c. Reſponſio, patet ex prædictis ſupra Cap. 5.

CAPUT XVII.

Confutatio Quarti ſenarii argumentorum. Decimo nono, legata in pias cauſas juris ſunt Eccleſiaſtici: cum autem reſtitutio bonorum, potius juſta ſit quam pia cauſa, magis ad Politicum Magiſtratum quam ad Eccleſiaſticum pertinet. Vigeſimo, corporalia Regi debent ſpiritualiter per ſpiritualia, & non temporaliter: neque vero Politica aut Regia Poteſtas eſt corporea,

porea, ſed ſpiritualis a Deo inſtituta, quæ homines debet regere ſecundum virtutes morales. Vigeſimo primo, Hugo a Sancto Victore tota errat via, dum perhibet Regalem Poteſtatem per ſpiritualem inſtitui & deſtitui. Vigeſimo ſecundo, Spiritualis homo qui omnia judicat, non eſt magis Eccleſiaſticus quam quicumque alius fidelis, veram pietatem & vitam ſpiritualem colens, quæ vitæ animali opponitur: & quid ſit vita ſpiritualis & animalis. Vigeſimo tertio, artes architectonicæ non ſimpliciter & abſolute artibus ſibi ſubordinatis ſed duntaxat ſecundum quid, & per modum dirigentis, ac ſuadentis imperant: deinde finis artis inferioris poteſt diverſos fines ac reſpectus habere intuitu ſuperioris, quare licet deficiat in uno, tamen forte non deficit in alio. Vigeſimo quarto, Papa non poteſt derogare legibus Politicis, niſi quo ad caſus ſpirituales, & quo ad forum Eccleſiaſticum, non quo ad Politicum.

QUod vero dicitur Decimo nono, de Legatis & reſtitutionibus: Reſpondeo, Legata in quantum ſunt ad pias cauſas, ad jus Eccleſiaſticum pertinent: & hoc eſt ſpirituale, ut dicunt Eccleſiaſtici viri, & præcipue quando ſunt totaliter indiſtincta: tunc enim poſſunt per Eccleſiaſticum determinari juxta voluntatem expreſſam Teſtatoris. Quod autem transferri poſſint, ut ſi Teſtator leget centum libras pauperibus intra Civitatem vel Diœceſim Pariſiorum, quod poſſit ratione talis indiſtinctionis dare pauperibus in Carnotenſi Diœceſi, non video quod poſſit de jure voluntatem Teſtatoris mutare. Principis tamen auctoritate, qui utrique Diœceſi præeſt ſeu Provinciæ, ex cauſa rationabili poſſet transferri & dari alicui Diœceſis nominatæ. De reſtitutionibus autem faciendis, non video quin poſſint fieri per providentiam ſeu prudentiam quorumlibet virorum bonorum in pios uſus, & pro utilitate Terræ Sanctæ, ſi neceſſitas immineat, vel utilitas expoſcat: & præcipue per providentiam Principis, qui utilitati communi invigilat, ex quo pro communi utilitate vel neceſſitate erogantur: propter hoc, quod perſonæ ſunt ignotæ: tamen quia licet, de culpa uſuræ Judex Eccleſiaſticus cognoſcat, ratione qua culpa eſt, & quod reſtitui debet, judicare habeat: tamen ratione forte facti imponere reſtitutionem & emendam ad Principem pertinet, qui eſt Juſtitia animata, & cuſtos Juſtitiæ: & idem in aliis contractibus, ſicut in quo minus videtur coërcere hæreticos, videlicet ad Judicem Eccleſiaſticum pertinet, *Extravag. de Hæreticis. Cap. Ad abolendam, & Cap. ſequenti, Vergentis*: licet Principes de negligentia exequendi a Papa reprehendantur, & puniantur: *quia*, ut notat Innocentius, *factum eſt de Imperatoris præſentis conſenſu*: tum etiam quia Epiſcopus civitatis habet ab Imperatore facultatem exigendi & conſequendi bona exequutionis, & exequendi, cum Teſtator perſonam ad exequendum non deſignavit. *C. De ſacroſanctis Epiſcopis. L. Nulli licere*: ita tamen quod cum Epiſcopus

hujuſ-

hujusmodi pecunias fuerit consequutus, quantitatem & tempus quo eas receperit, apud Rectorem Provinciæ publicare debebit, ut ibidem dicitur. Tum quia Lex, *ff. De petenda hæreditate*, *L. Hæreditas*, ad quam Canonistæ per se remittunt defensionem & exequutionem piarum voluntatum ultimarum, sicut & cætera quæ ad pias causas pertinent, non solum ad Pontificem, sed ad Principem principaliter pertinere oportet, ut dicitur in fine, quod Principali & Pontificali, id est, Principis & Pontificis auctoritate compelluntur hæredes ad exequutionem extremæ voluntatis. Tum quia in tali casu, cum sit *restitutio æris alieni*, *magis videtur pertinere ad justas causas*, *quam ad pias*. Et ideo puto quod non oportet quod per solum Ecclesiasticum Judicem talis restitutio fiat: sed magis ad Principem pertinet; licet etiam posset fieri per providentiam quorumlibet bonorum virorum.

Quod autem arguitur Vigesimo quod corporalia reguntur per spiritualia, & ab ipsis dependent ut a causa. Responsio, Argumentum ut sic factum multipliciter deficit: Primo, quia supponit quod Potestas Regalis sit corporalis & non spiritualis, & habeat curam corporum & non animarum: quod falsum est, ut patet ex supradictis, cum ordinetur ad bonum commune civium, non quodcumque, sed quod est vivere secundum virtutem: unde dicit Philosophus in Ethicis, quod intentio Legislatoris est, homines bonos facere, & inducere ad virtutem: & etiam in Politicis dicit, quod sicut anima melior est corpore, sic Legislator melior est Medico: quia Legislator habet curam animarum, Medicus corporum. Secundo deficit argumentum, quia non quælibet Potestas secularis a qualibet spirituali instituitur, monetur, & dirigitur: nam in domo ordinata Doctor literarum & instructor morum, cujus potestas est spiritualis, non instituit Medicum: sed ambo a Patrefamilias instituuntur: nec etiam dirigit Medicum, in quantum Medicus est, sed solum per accidens, in quantum accidit Medicum velle castum vel literatum fieri. Sic Papa non instituit Regem, sed uterque est a Deo institutus suo modo: nec enim dirigit perse ut Rex est, sed per accidens, in quantum convenit Regem fidelem esse, in quo instruitur a Papa de fide, & non de regimine. Unde subjicitur Papæ in iis in quibus subjicit eum Potestas suprema, scilicet in spiritualibus tantum. Tertio, patet etiam argumentum deficere, & magis esse pro nobis quam contra nos, si consideremus exemplum: quia licet corpora cælestia moveantur in suum finem, & administrentur per Angelos: tamen non sunt producta per Angelos, sed immediate

diate

diate à Deo: & ita debet concludi quod Poteſtas terrena eſt à Deo immediate, licet ipſa ad beatam vitam dirigatur per Poteſtatem ſpiritualem.

Quod vero Vigeſimo primo dicitur de Hugone dicente, quod Spiritualis Poteſtas inſtituit temporalem: dici poteſt quod dicta Hugonis non ſunt authentica, & modicum roboris adferunt. Dici tamen poteſt ut dicit Auguſtinus I. de Civitate Dei, *Mos Sacræ Scripturæ eſt dicere rem fieri quando manifeſtatur*: pro tanto ergo dicit Hugo, quod Poteſtas ſpiritualis regiam inſtituit, non quidem ipſam efficiendo ut ſit, cum ſit à Deo & à populo conſentiente & eligente, ſed quia in ungendo, ipſum inſtitutum & electum manifeſtat.

Quod autem dicitur Vigeſimo ſecundo, *Quod ſpiritualis homo omnia dijudicat, & ipſe à nemine judicatur, &c.* licet illa auctoritas frequenter aſſumatur, & in diverſis caſibus pro auctoritate Domini Papæ: tamen non eſt ad propoſitum, quia non accipitur ibi homo ſpiritualis à Poteſtate ſpirituali quam habet Eccleſiaſticus Judex: cum habens hanc poteſtatem ſpiritualem, interdum ſit animalis, ut ibi accipitur: ſed dicitur ſpiritualis homo, vita vel ſenſu. Vita autem animalis dicitur, cum vita alicujus fertur per animæ laſciviam, & non continetur rectore ſpiritu. Scientia quidem animalis homo eſt, qui ſecundum phantaſiam & ſenſum corporeum, vel ad Legis literam, vel rationem phyſicam de Deo judicat. Spiritualis verò dicitur vita & ſcientia: vita quidem, qui ſecundum Deum habens rationem, animam ſuam regit: ſpiritualis autem ſcientia eſt, qui non ſecundum humanum ſenſum, ſed Spiritui Sancto ſubjectus per fidem de Deo judicat certiſſime & fideliter: Unde talis judicat omnia, Gloſſa, *Certa fide occultorum, non patenti cognitione intelligit & diſcernit, & à nemine judicatur, id eſt, reprehenditur*: & ſic exponunt Hieronymus, & Auguſtinus, & litera Apoſtoli hoc oſtendit.

Quod vero dicitur Vigeſimo tertio de ordine finium, Reſpondeo, multipliciter deficit argumentum: primo quidem, quia ars ad quam pertinet ſuperior finis, monet & imperat arti ad quam pertinet finis inferior, non quidem ſimpliciter, ſed quantum ei competit ad neceſſitatem ſui finis ultimi: & hoc aliqualiter eſt conceſſum ſuperius in propoſito. Amplius deficit, quia ars illa ſuperior non ſemper imperat neceſſario inferiori, movendo per modum neceſſitatis, & inſtituendo eam: ſed ſolum ei imperat per modum dirigentis; & ſicut medicus pigmentarium informat, & judicat de ipſo an bene conficiat pigmenta & debite, ſed ipſum non inſtituit, nec deſtituit: ſed

ſed eſt aliquis ſuperior utrobique, apud quem eſt totus ordo Civitatis, ut Rex vel Dominus Civitatis: & iſti ſi pigmentarius non conficiat pigmenta, prout Medico, competit habent ipſum deſtituere, ſicut & conſtituere, & ita eſt in propoſito. Totus mundus eſt quaſi una Civitas, in qua Deus eſt ſuprema Poteſtas quæ Papam & Imperatorem inſtituit, Quare, &c. Tertio deficit argumentum, quia licet aliquid coloris habeat, ubi illud quod pertinet ad artem inferiorem, non habet rationem boni, vel appetibilis ſecundum ſe, ſed ſolum ut ordinatur ad finem ſuperiorem quem reſpicit ars ſuperior: ſicut ſe habet confectio medicinarum, quam facit pigmentarius ad ſanitatem quam intendit Medicus: tamen dicta ratio nihil coloris habet, ubi illud quod ad inferiorem artem pertinet, habet in ſe rationem boni & appetibilis ſecundum ſe, cujuſmodi eſt vivere ſecundum virtutem. Nam multa ſunt bona & appetibilia ſecundum ſe, quæ tamen ad aliud ordinabilia ſunt, ut dicitur in 8. Ethicorum de Amicitia, & in 10. dicitur idem de Scire & Videre, & aliis hujuſmodi. Quarto deficit dicta ratio, quia dato quod valeat in aliquibus partibus ordinatis, ubi inferior finis non ducit in ſuperiorem, niſi determinato modo: & ideo deficere ſecundum illum determinatum modum eſt deficere ſimpliciter, & inutile remanere reſpectu illius finis: tamen ubi finis inferior habet diverſos ordines ad ſuperiorem, non oportet, quod ſi deficiat ſecundum unum ordinem, quod poteſtas conſtituta in illo deſtituatur, tanquam inutilis: quia eſt alius ordo ejus ad finem, qui forte ſolum notus eſt ſupremæ Poteſtati: propter quem ordinem, vult inferiorem poteſtatem manere tanquam utilem: & ſic eſt de poteſtate Regia: quia ſecundum eam populus non ſolum dirigitur in Deum, ſecundum quod Rex ea utitur ut Rex eſt, ſed etiam ſecundum quod ea utitur ut tyrannus: in quantum ſcilicet tyrannis Principum eſt, in ultionem peccatorum ut dicit Job, *Quod regnare facit Dominus hypocritam propter peccata populi:* vel in probationem patientiæ ſubditorum, vel in compulſionem eorum, ut ad Deum refugiant, qui ſolus poteſt corda Regum immutare in melius, dicente Salomone, *Cor Regis in manu Domini eſt, & quocumque voluerit inclinabit illud*: qui etiam & tyrannos quos reputat converſione indignos poteſt auferre, ſecundum illud Salomonis: *Sedes Ducum ſuperborum deſtruxit Deus, & ſedere fecit mites pro eis.* Et per Ezechielem dicit, *Liberabo gregem meum de ore eorum qui paſcunt ſemetipſos.*

Quod autem dicitur Vigeſimo quarto quod Papa habet facere leges, & quod

& quod Princeps non potest facere leges, vel eis uti quousque fuerint per Papam approbatæ: Dico quod falsum est, ut dicit expresse Leo Papa scribens Lothario Augusto *dist.* 10. *de Capitulis*, dicens sic, *De Capitulis, & præceptis Imperialibus vestris & prædecessorum vestrorum irrefragabiliter custodiendis & conservandis quantum valuimus & valemus, Christo propitio, & nunc, & in æternum nos conservaturos modis omnibus profitemur: & si forte quislibet vobis aliter dixerit, vel dicturus fuerit, sciatis ipsum pro certo mendacem.*

Nec per Canones semper Legibus derogatur nisi quo ad casus spirituales: Nec Papa posset Leges tollere, nisi quo ad suum forum, ut dicit Joan. & alii. Dicere autem, ut isti Magistri dicunt, quod Papa tradit leges Principibus, & quod Princeps non potest leges aliunde sumere nisi per Papam fuerint approbatæ; est omnino destruere regimen Regale & Politicum, & incidere in errorem Herodis timentis & putantis Christum Regem destruere terrenum: quia secundum Philosophum in 1. Politicorum, *Principatus tunc solum dicitur regalis, quando quis præest secundum leges quas ipse instituit. Cum vero præest non secundum arbitrium suum, sed secundum leges quas cives alii instituerunt, dicitur Principatus Civilis vel Politicus, & non regalis.* Si ergo nullus Princeps regeret nisi secundum leges a Papa traditas, vel ab eo primo approbatas, nullus principaretur principatu Regali vel Politico, sed solum Papali: quod est regnum destruere, & omnem principatum antiquum evacuare.

CAPUT XVIII.

Confutatio Quinti senarii Argumentorum de auctoritate Papæ in temporalibus. Vigesimo quinto, Sacerdotium ideo vocatur Regale quia Sacerdotes dirigunt & regunt homines ad Regnum æternum & cæleste: deinde omnes Christiani Sacerdotes vocantur, quia sacrificium spiritus contribulati Deo offerunt. Vigesimo sexto, unctio Regum Israël præceptum erat Ceremoniale & figurativum non morale: quare nihil ad Regni necessitatem, sed ad mysterium Incarnationis & regni Christi spectabat. Vigesimo septimo, Ethnicos veram & perfectam habuisse Justitiam moralem ad regni gubernationem necessariam, & veros fuisse reges quamquam non essent Christiani. Vigesimo octavo, Politicam potestatem subordinatam esse potestati Ecclesiasticæ ut ab hac spiritualiter dirigatur, non autem quod ab ea causaliter dependeat, aut quod Reges cogere vel abdicare valeat. Vigesimo nono, Ecclesiam dici unam ac unum populum, unum ovile, & corpus efficere mysticum ratione Christi, qui maxime proprie est Caput Ecclesiæ, auctor utriusque Potestatis: non autem intuitu Petri, qui solum dicitur caput ratione externi ministerii spiritualis, non autem propter regimen temporale, quia Reges sunt capita sui regni. Cæterum Papæ ut supremo Hierarchæ nihil potestatis collatum est à Christo, quod non etiam aliis Episcopis proportionatim conveniat in sua Diœcesi, totaque est spiritualis non temporalis. Trigesimo, locus D. Lucæ 22. de duobus gladiis pla-

ne allegoricus est, ex quo nihil potest concludi: & de vario sensu quo Apostoli & Ecclesia dicuntur habere duos gladios.

QUod autem dicitur Vigesimo quinto, *quod Sacerdotium dicitur Regale, quia Sacerdotes sunt Reges:* dicendum quod Sacerdotium, ut patet ex prædictis, dicitur Regale a Regno, non quidem mundi; sed cœli ad quod ordinat & dirigit: vel secundum Intentionem B. Petri hoc dicitur omnibus fidelibus justis, qui in quantum sunt unum cum Christo capite, in ipso sunt Reges & Sacerdotes, attribuendo membris quod est capitis, secundum regulam Tyconii: vel ideo dicuntur Regnum, quia in ipsis regnat Rex eorum Christus: & Sacerdotes dicuntur; quia offerunt Deo Sacrificium Laudis & Spiritus contribulati; quod etiam offerunt omnes justi.

Quod autem dicitur Vigesimo sexto de Veteri Lege, in qua Rex inungebatur per Sacerdotem: Respondeo non est de necessitate Potestatis secularis quod inungantur, cum ante Reges inunctos, in populo illo fuerint Duces, ut Moyses & Josua, & successores eorum, de quibus Dominus providebat. Non est etiam de necessitate Regis qui perfectiorem habet auctoritatem quod ungatur: cum aliæ gentes Reges habeant, qui non inunguntur: In populo autem illo Reges, inungebantur in mysterium & repræsentationem Regis Christi de populo illo nasciturі, qui *unctus est oleo gratiæ præ participibus suis:* Oleo dico significato per oleum quo Reges de populo inungebantur: quod etiam apud Reges Christianos, qui se membra Christi profitentur, observatur. Non enim est inconveniens, quod Reges in populo Dei sint veri Reges, & tamen sint figura altioris Regis, ut dicit Augustinus. Hæc vero unctio regia fieri præcipiebatur per Sacerdotem, ut significetur, quod de populo illo erat nasciturus, qui simul foret Rex & Sacerdos, scilicet Christus. Hæc autem quæ instituta erant in populo illo, cum pleraque eorum essent figurativa, non sunt trahenda ad populum Christianum. Unde & in Novo Testamento non legimus quod Sacerdotes inungere debeant Reges: nec etiam observatur in omnibus Regibus Christianis, ut patet in Regibus Hispaniæ. Et ideo argumentum nihil est ad propositum. Amplius, illa inunctio erat consecratio Regum: consecrare autem secundum Papam, est Deo dicare: Ex quo patet quod per hoc non concluditur quod Sacerdotium sit majus in temporalibus, & causis seculi quam Regia potestas, sed solum in iis quæ a Deo sunt. 2. *quæst.* 7. *Nos si incompetenter.* Quod etiam istud argumentum non concludit patet, quia

quia in Veteri Lege Sacerdotes qui Reges inungebant, indubitanter Regibus ſubdebantur.

Quod autem dicitur Vigeſimo ſeptimo, quod ſine Chriſti Juſtitia non poteſt eſſe Reſpublica: Dicendum eſt, quod virtutes morales acquiſitæ poſſunt eſſe perfectæ ſine Theologicis, nec ab ipſis perficiuntur, niſi quadam accidentali perfectione, ut innuit Auguſtinus in lib. Sententiarum Proſperi: & ideo ſine rectore Chriſto eſt perfecta & vera juſticia quæ ad Regnum requiritur, cum Regnum ordinetur ad vivere ſecundum virtutem moralem acquiſitam; cui accidit quod perficiatur per interiores virtutes quaſcumque: Verum ideo dicit Auguſtinus quod non eſt vera juſtitia ubi non eſt Chriſtus rector, non quia eſſe non poſſit, ſed quia non erat. Juſtitia etiam moralis acquiſita apud illos qui juſtitiam ſervare credebant, dæmonibus & idolis ſervientes: contra quos dicit Auguſtinus, quod veram juſtitiam non ſervabant. Poteſt etiam eſſe quod non regeretur Reſpublica populi Chriſtiani recte, niſi rector ſit Papa; qui eſt Chriſti Vicarius in ſpiritualibus: nec taliter juſtitia ſervaretur, niſi ei ſicut juſtum eſt in ſpiritualibus obediretur.

Quod vero dicitur Vigeſimo octavo, quod oportet illas Poteſtates eſſe a Deo ordine quodam. Reſpondeo, ordinem habent ut dictum eſt dignitatis non cauſalitatis: cum una non ſit ab alia, ſicut omnes Angeli a Deo ſunt producti ordine quidem dignitatis, in quantum unus in naturalibus ſemper eſt nobilior altero: ſed non eſt ibi ordo cauſalitatis, quo unus ſit ab alio, cum omnes ſint a Deo immediate creati. Intentio tamen Apoſtoli videtur eſſe de ordine cujuslibet ad finem ſuum proprium, & non de ordine unius ad alterum: Quod patet ex hoc quod ſubjungit de Principe, *quod miniſter Dei eſt in vindictam, &c.*

Quod autem dicitur Vigeſimo nono de uno capite, &c. Dici poteſt quod una eſt Eccleſia, unus populus Chriſtianus, unum corpus myſticum, non quidem in Petro vel in Papa, *ſed in Chriſto, qui ſolus proprie & maxime eſt caput Eccleſiæ*, a quo diſtributa eſt utraque Poteſtas diſtincta quo ad diverſos gradus ſecundum Pſalm. *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus.* Et Epheſior. 1. *Ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam quæ eſt corpus ipſius.* Ubi dicit Ambroſius *quod Chriſtus eſt caput Eccleſiæ.* POTEST NIHILOMINUS *Summus Pontifex quantum ad exteriorem miniſteriorum exhibitionem dici Caput Eccleſiæ, in quantum ipſe eſt principalis inter Miniſtros, a quo ut a principali Chriſti* vicario

vicario in spiritualibus totus Ordo ministrorum dependet, ut ab Hierarcha & architecto, sicut Romana Ecclesia indubitanter est caput omnium Ecclesiarum. Non est autem caput quantum ad regimen in temporalibus, seu dispositionem temporalium: sed quilibet Rex est in hoc caput Regni sui: & Imperator monarcha si fuerit, est caput mundi.

Est etiam hic considerandum, quod ex Ecclesiastica hierarchia, quam oportet habere unum Monarcham summum Pontificem, nituntur aliqui ostendere Reges & Principes esse subdictos Papæ in temporalibus: Ita quod in Papa sit utraque potestas, spiritualis scilicet & temporalis, quod ipsi prosequuntur diffuse. Sed in veritate, ex ipsa Ecclesiastica hierarchia secundum B. Dionysium in infimo gradu sunt laici cum suis Regibus quasi imperfecti, perfectibiles tamen supra quos sunt perfectiores, ut viri Ecclesiastici, & in supremo est Summus Monarcha omnium, scilicet Dominus Papa. Constat autem secundum doctrinam ejusdem Dionysii quod infimi non reducuntur ad supremos nisi per medios: nec supremi Hierarchæ perficiunt infimos immediate sed mediantibus mediis. Summus ergo Pontifex non habet potestatem generalem & immediatam super laicos, nisi quam habent medii de hierarchia immediatam, & magis contractam ut Episcopi vel Abbates. Quamvis enim in Angelica hierarchia Supremus Monarcha, qui est Deus, aliquid possit circa infimum Angelorum, quod circa ipsum non potest aliquis mediorum, ut creare & in nihilum redigere: tamen hoc non potest in quantum Hierarcha, sed in quantum Deus creator. Cum ergo in istis mediis perfectionibus, non ponant aliqui utramque potestatem, spiritualem scilicet & temporalem, sed spiritualem tantum, clarum est ex ista ordinatione Ecclesiasticæ hierarchiæ, quod summus Pontifex, ut hierarcha est, non habebit potestatem nisi spiritualem, licet generaliorem, quia ubique habet potestatem. Et propter hoc Bernardus ad Eugenium lib. 3. prædictum Ordinem hierarchicum attendens, nullam potestatem ponit in Papa, quam non ponat in Prælatis inferioribus, licet in Papa ponat summam: Unde dicit sic: *Erras si ut summam, ita & solam à Deo institutam vestram Apostolicam potestatem existimas: Si hoc sentis dissentis ab eo qui ait: Non est potestas nisi à Deo. Proinde quod sequitur, qui potestati resistit Dei ordinationi resistit, & si principaliter pro te facit non tamen singulariter. Denique idem ait: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: Non ait sublimiori tanquam in uno: sed*

ſed ſublimioribus tanquam in multis: Non ergo tua ſola poteſtas à Domino, ſunt & mediocres, ſunt & inferiores. Ecce manifeſte in iſto ordine hierarchico, nullam poteſtatem dat Papæ, quam non det mediis Prælatis, licet eam in Papa ponat ſummam. Ex quo patet, quod cum dicti medii Prælati non habeant poteſtatem à Chriſto niſi ſpiritualem, non poteſt eſſe, quod Papa ſingulariter habeat temporalem, per hoc quod eſt totius Eccleſiæ ſummus ſeu ſupremus Hierarcha. Et hoc dicunt Sancti, Matth. 16. quod Chriſtus non dedit aliquam poteſtatem Petro quam non dederit cæteris Apoſtolis, & Epiſcopis, & Sacerdotibus Eccleſiæ: licet Petrus dicatur ſpecialiter claves Eccleſiæ accepiſſe propter principalitatem quam à Chriſto accepit, ut dicit Rabanus & Gloſſa, *propter hoc etiam quod dictum eſt Petro ſoli, Matth.* 16. *dictum eſt etiam per eadem verba omnibus, Matth.* 18. *Quæcunque alligaveritis, &c. Et Joannis* 20. *dictum eſt omnibus, Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis, &c.* Ubi dicit Chryſoſtomus quod collata fuit poteſtas ſpiritualis tantum. Hanc autem digreſſionem hic feci propter aliquos magnos, qui propter unitatem Eccleſiaſticæ Hierarchiæ nituntur oſtendere, Papam habere utrumque gladium. Eſt etiam conſiderandum, quod ex dicto Ordine hierarchiæ Bernardus ubi ſupra reprehendit Papam, quia dictum Ordinem Eccleſiaſticum perturbat, dum Abbates & inferiores Epiſcoporum eximit, eos immediate ſibi ſubdens, quod in cœleſti hierarchia ad quam exemplatur Eccleſiaſtica, non invenitur. Quod etiam non poſſet de jure fieri, ſentire videtur, cum Papæ in Moſe dictum ſit à Domino, *Inſpice, & fac ſecundum exemplar quod tibi à Domino in monte oſtenſum eſt.* Hoc enim diſpenſationem non diſſipationem indicat, cum tamen Papæ non ſit credita diſſipatio ſed diſpenſatio.

Quod vero Trigeſimo dicitur de duobus gladiis, Reſpondeo, non eſt hic niſi quædam adaptatio allegorica, ex qua non poteſt ſumi argumentum: quia ſecundum Dionyſium, myſtica Theologia non eſt argumentativa. Et Auguſtinus dicit in Epiſtola ad Vincentium, *quod Allegoria non ſufficit ad probationem alicujus, niſi certa ejus habeatur aliunde auctoritas manifeſta.* Poſſum etiam dicere, quod per illos duos gladios intelligunt omnes myſtice verbum Dei juxta illud Apoſtoli, Epheſ. 6. *Accipite loricam fidei, & gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei.* Quod autem dicitur duo gladii propter Novum & Vetus Teſtamentum: & per duos gladios intelligunt gladium verbi & gladium inſtantis perſequutionis, de quo dicitur Lucæ 2. Beatæ Virgini,

Tuam

Tuam ipsius animam pertransibit gladius: & 2. Regum 12. *Non recedet gladius de domo tua:* & eos sufficere tunc dicebat: & horum gladiorum unus erat Apostolorum passive, quia ab eis sustinendus, scilicet gladius persequutionis: alius autem erat eorum proprie, quia ab eis pro tempore competenti evaginandus, scilicet gladius Verbi Dei. Dato autem quod per illos duos gladios quos habebant Apostoli intelligantur duæ Potestates, scilicet spiritualis & temporalis, licet dicantur ibi esse, tamen non dicuntur ambæ esse Petri vel alterius Apostoli, nam unum eorum non tetigit Petrus, scilicet secularem, quia suus non erat. Alium vero tetigit, scilicet spiritualem, quem solus Dominus dixit esse suum, & tamen non statim evaginandum à Petro, unde dictum est ei: *Pone gladium tuum in vaginam*, quia non certe debet statim, sed cum magna deliberatione, & in necessitate magna Judex Ecclesiasticus uti suo mucrone spirituali, ne contemnatur. Posito igitur quod per illos duos gladios mystice illæ duæ Potestates intelligantur, pro nobis est: quia cum essent duo, Petrus non habuit nisi unum suum: propter quod etiam dicit Dn. Matth. 10. *Non veni pacem mittere, sed gladium:* & signanter dixit gladium, non gladios: & in persona Christi dictum est in Psalmo, *Accingere gladio tuo super femur tuum, &c.* Et Apocalyps. 1. de Filio sedente in medio candelabrorum, & 19. de illo qui dicitur Verbum Dei, dicitur, *Quod ex ore ejus exibat gladius ex utraque parte acutus.* Ecce ergo quod à Christo non habent nisi unum, potest nihilominus dici, quod duo gladii ibi dicuntur fuisse, & ad Apostolos pertinere, quia unus Apostolis & eorum Successoribus convenit per se quem à Christo habent: alius vero suus est aptitudine, quia eis non repugnat, & ex commissione & permissione Principum suus erat futurus. Potest etiam dici quod dicta auctoritas Bernardi pro nobis est, quia dicit, *Quod utrumque est Ecclesiæ, sed materialis pro Ecclesia; spiritualis vero ab Ecclesia exercendus: Ille Sacerdotis, is militis manu, sed sane ad nutum Sacerdotis & jussum Imperatoris.* Ubi signanter dicit, *Ad nutum Sacerdotis, & non per manum, vel ad jussum ejus: quia in hoc non habet auctoritatem jubendi vel compellendi, sed solum innuendi si voluerit Imperator.*

CAPUT

CAPUT XIX.

Confutatio Sexti senarii versatur in dilutione argumentorum Joannis de Cremona. Trigesimo primo, Noe, Abraham, & Moses populum, non tam ut Sacerdotes, quam ut Politici Principes immediate à Deo electi gubernarunt. Trigesimo secundo, causa finalis iis quæ sunt ad finem non simpliciter & absolute imperat, sed duntaxat per modum dirigentis & suadentis, non cogentis. Trigesimo tertio, Deus non aufert Regna malis Imperatoribus, & Tyrannis, quia vult opes temporales bonis & malis communes, & beatitudinem solis probis & electis propriam esse. Trigesimo quarto, Ecclesia nullum Jus habet puniendi corporaliter Hæreticos vel Schismaticos, sed officium est Principum Christianorum Ecclesiæ pacem sartam tectam tueri. Trigesimo quinto, Deus dicitur dedisse Regem Israelitis cum indignatione, non quod regimen Regale improbaret, sed quia Israelitæ curam & regimen quod Deus privatim habebat de illis, & Monarchiam Aristocratia & Democratia temperatam sprevissent. Trigesimo sexto, Sacerdotes solummodo liberi & immunes sunt quoad rerum divinarum ministerium & ea quæ hujusmodi ministerium sequuntur.

AD Trigesimum primum quod arguit Joannes de Cremona; Respondeo: quamvis multa jactet se dicturum, tamen absque dubio tam rudia sunt dicta sua, quod mihi non videntur repetitione digna: sed discurramus per singula. Quod ergo primo dicit, quod Dominus à principio rexit mundum per semetipsum usque ad diluvium, & postea per Sacerdotes Noe, Abraham, Moysem, & alios hujusmodi: dico quod deficit multipliciter: Primo, quia supponit prædictos fuisse Sacerdotes, quod quidem de Noe falsum est manifeste, cum nec Sacerdos fuerit, nec officium aliquod Sacerdotis legatur fecisse, non obstante quod legatur quod erexit altare Domino: quia erigere altare Domino, vel orare seu invocare Dominum, non sunt actus proprii Sacerdotum, cum etiam non Sacerdotibus conveniat. Jacobi 5. *Orate pro invicem ut salvemini:* Etsi etiam fuisset Noe Sacerdos, non ideo dici potest, quod mundum rexerit Deus per Sacerdotem Noe, quia non legitur ædificasse altare Domino, nisi postquam ædificaverat & rexerat arcam. De Abraham vero & Moyse constat quod non fuerunt Sacerdotes veri, cum nullum verum Sacrificium oblatum fuerit ante veram Christi Hostiam, qui primus fuit verus Sacerdos, ut supra Capite Quarto patuit: nec etiam fuerunt Sacerdotes legales & figurales dignitate & officio, sicut Aaron, cum nondum essent inuncti: nec Sacrificia adhuc erant instituta, licet in necessitate & propter defectum Sacerdotum, prædicti aliquos actus Sacerdotum fecerint: ut quod Moyses inunxit Aaron, vel aliquid hujusmodi, propter quod Moyses Sacerdos dicitur in Psalmo, *Moyses & Aaron in sacerdotibus ejus.*

Quod vero Abraham dicitur Presbyter non est ad propositum: quia sicut dicitur *distinct.* 84. *cap.* 6. Presbyter vocatur non tantum ætate sed & sapientia. Secundo deficit ratio, quia dato quod fuissent Sacerdotes, tamen erant à Deo constituti ut Principes: & ideo in temporalibus regebant populum non ut Sacerdotes, sed ut Principes. Nec oportet, quod si tunc Potestates duæ erant simul indistinctæ in subjecto, quod ita nunc esse debeant in uno: quia hoc erat propter imperfectionem illius Sacerdotii, quod tamen voluit Dominus postea magis ac magis esse distinctum à Potestate Seculari, quanto magis accessit ad perfectum. Unde temporibus Regum & Judicum duæ Potestates erant subjecto distinctæ, & multo magis nunc esse debent, ut supra dictum est, Capitulo Decimo.

Quod autem dicit Trigesimo secundo de habente dominium super finem, & super ea quæ sunt ad finem: patet quod argumentum nullum est: idem enim est modus arguendi ac si diceretur, Iste est dominus omnium equorum, ergo & omnium frenorum qui fiunt propter equos: quod non sequitur, sicut cuilibet patet. Peccat etiam argumentum in materia, quia non est verum, quod Papa sit Dominus spiritualium, quia Minister est tantum, primæ Corinth. 2. *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores*, scilicet Ecclesiæ. Non oportet autem, quod si spiritualium & temporalium unus est dominus, quod eorum sit tantum unus minister, sed erunt plures, primæ Corinth. 12. *Divisiones administrationum sunt, unus autem Dominus: & divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Ad hæc etiam adaptari possunt rationes ad argumentum de finibus datæ supra, Cap. 17. Quod vero additur, quod Deus animas Petro dedit, frivolum est, neque enim ei dedit ut esset Dominus earum, sed instructor & defensor contra spirituales lupos. Unde Bernardus ad Eugenium, *Domabis lupos, & non dominaberis ovibus.* Et Petrus dixit, *Non dominantes in Clero, sed forma facti gregis ex animo.* Quod vero subjungit de Apostolo dicente, *Vestra sunt omnia*, non est ad propositum, quia non loquitur Petro vel Papæ singulariter, sed omnibus fidelibus, præcipue justis, quorum sunt omnia, quantum ad aliquam utilitatem, vel operationem in bonum, eo modo quo omnia sunt justorum * 33. quæst. 6. cap. 1. Vel ideo ita dicit, quia ut dicit Glossa super illud 1. Corinth. 12. *Charitas non quærit quæ sua sunt, sed quærit omnia communia, ut quod aliquis non habet in se, habeat tamen in alio cui unum est per charitatem.*

Quod

Quod autem dicitur Trigesimo tertio de peccatis Imperatorum, quod propter peccata eorum translatum est Jus Imperii ad Papam: Respondeo, hoc totum ridiculosum est: Primo quia ut ostendit Augustin. 4. de Civitate Dei, *Regna & Imperia vult Deus esse communia bonis & malis, felicitatem non nisi bonis.* Et ita non est de Jure Divino, quod Imperatores propter peccata sua jure Imperii priventur. Secundo, quia non omnes Imperatores prædicta flagitia commiserunt, nec eorum peccata aliis Imperatoribus obfuisse debuerunt: & præcipue quia in Imperio non succedunt ut hæredes, sed ab exercitu vel populo rite eliguntur. Tertio etiam, quia aliqui Papæ inventi sunt flagitiosi & hæretici, & juste depositi: nec tamen malitia eorum obfuit aliis Successoribus eorum vere & debite electis. Quarto, quia dato quod Imperator culpa sua privetur jure suo, tamen nihil juris ex culpa ejus Papæ in Imperio accrescit. Nam ut dicit Augustinus, *Homo peccando, juste diabolo subditur, non tamen juste diabolus dominabitur eidem.* Et præcipue tenet hoc in proposito, quia dominatio Sacerdotibus interdicta est, ut supra patuit. Quinto, quia falsum est quod in fine argumenti insinuatur, scilicet quod Imperatoribus debeatur Imperium ex privilegio: hoc enim privilegium Imperatoribus datum a Clericis nusquam audivimus, sed jure eis dabatur Imperium populo seu exercitu faciente, *dist.* 29. *cap. Legimus*, & Deo inspirante, quia à Deo est, 23. *quæst.* 4. *cap. Quæsitum:* & Commentator 8. Ethicorum cap. 10. dicit, *Quod Rex est a populi voluntate, sed cum est Rex, quod dominetur est naturale.*

Quod Trigesimo quarto dicitur de majori potestate quam habet nunc Ecclesia quam haberet in principio: Respondeo, quantum ad hoc argumentum innititur allegoriæ, & patet quod nullius est efficaciæ, quia ut dicit Augustinus epistola ad Vincentium: *Allegoria non sufficit ad probationem, nisi de hoc habeatur auctoritas alia manifesta:* Et ideo dicit Dionysius, *Quod mystica Theologia non est argumentativa.* Amplius super illud, Luc. 14. de parabola convivii, & Psalm. *Quare fremuerunt Gentes, &c.* magis videtur secundum moralem sensum accipi Christi persequutio quam nunc sustinet in membris suis a malis, quam in futuro quando in cœlo omnia ei subjecta erunt secundum Apostolum, Hebr. 2. quam illud quod isti accipiunt: Si tamen totum accipiatur pro statu militantis Ecclesiæ ad diversa tempora, ut isti accipiunt, adhuc non est pro eis: quia sicut dicit Augustinus de Verbis Domini, non loquitur Dominus quasi nunc possit Ecclesia compellere Judæos

& Gentiles ad fidem, vel quod nunc non sit Ecclesia subjecta in temporalibus Regibus, & Principibus, de Jure sicut olim: sed loquitur de Hæreticis qui per sepes intelliguntur: Nam qui sepes construunt, divisiones quærunt: ii enim de Jure sunt ab Ecclesia compellendi redire. Sed hoc non faciebat Ecclesia in principio propter defectum potentiæ, eo quod Reges & Principes non sic erant favorabiles Ecclesiæ sicut nunc sunt, & ideo cum favore Principum nunc possunt: & sic tractatur ista materia, 23. *quæst.* 5.

Quod vero objicitur Trigesimo quinto de Regis permissione ex Dei indignatione: Respondeo, argumentum deficit: Dominus enim cum Sacerdotio simul vel ante instituit Regem in populo illo, licet non cum plena potestate, ut patet in Mose & Josue, & Successoribus, qui toto illi populo præerant. Unde dicebat Moyses, Numer. 27. *Provideat Dominus Deus spirituum omnis carnis hominem, qui sit super multitudinem hanc.* Et de singulis Judicibus, qui post Josue fuerunt, legitur, quod Deus suscitavit Salvatorem, & quod Spiritus Dei erat in illis, ut patet Judicum 2. Erant igitur a Deo instituti, & non Judicio Judæorum commissi: & erant Reges aliquo modo in quantum toti populo illi præerant singulariter vel specialiter, quod est species Regni: non erat tamen Regimen Regium purum, eo quod commiscebatur Aristocratiæ, in qua plures dominantur secundum virtutem, & Democratiæ, id est, Principatui Populi, ut videbitur. Cum autem postea ad eorum petitionem eis dedit habere Regem cum plenitudine Potestatis, adhuc electionem eis non commisit, sed reservavit, ut patet, Deuter. 17. ubi dicitur, *Constitues Regem quem Dominus Deus tuus elegerit.* Non est etiam contra Regiam Dignitatem, quod ad petitionem eorum quasi indignatus Regem concessit, primo Regum 8, quia simile argui posset de Sacerdote: quia cum Moyses Domino diceret, Exod. 4. *Obsecro Domine mitte quem missurus es*: Dominus iratus in Moysen ait, *Aaron frater tuus Levites scio quod eloquens sit, ecce ipse egredietur in occursum tuum, &c.* Sed quare ergo indignatus concessit eis Regem? Dicendum, quod non ideo quia Regale Regimen displiceret simpliciter ut malum, sed ideo quia illum populum sibi elegerat ut peculiarem, Deuteronomii 7. & instruxerat eis Regimen melius puro Regali, saltem illi populo propter duo: Primum est, quia licet Regimen Regium in quo unus simpliciter principatur secundum virtutem, sit melius quolibet alio Regimine simplici, ut ostendit Philosophus in 3. Politicorum: tamen si fiat mixtum cum Aristocratia &

Demo-

Democratia, melius est puro, in quantum in Regimine mixto omnes aliquam partem habent in Principatu: per hoc enim servatur pax populi, & omnes talem dominationem amant, & custodiunt, ut dicitur in 2. Politicorum: & tale erat Regimen a Deo optime institutum in populo illo. Quia erat Regale in quantum unus præerat omnibus singulariter, ut Moyses vel Josue. Erat etiam aliquid de Aristocratia, qui est Principatus aliquorum optimorum principantium secundum virtutem, in quantum sub illo viro eligebantur LXXII. Seniores Deuter. primo. Erat etiam ibi aliquid de Democratia, id est, Principatu populi, in quantum LXXII. eligebantur a populo, & de toto populo, ut dicitur ibidem: & sic erat optime mixtum, in quantum omnes in Regimine illo aliquid habebant sive aliquam partem. *Et sic certe esset optimum Regimen Ecclesiæ, si sub uno Papa eligerentur plures ab omni Provincia, & de omni Provincia, ut sic in Ecclesiæ Regimine omnes haberent partem suam.* Aliud etiam erat propter quod tale Regimen erat melius illi populo, quam purum Regale: quia licet regimen Regale sit optimum in se, si non corrumpatur, cum propter magnam Potestatem quæ Regi conceditur, de facili Regnum degeneret in Tyrannidem, nisi sit perfecta virtus ejus cui talis Potestas conceditur. Nam ut dicitur decimo Ethicorum *viri virtuosi est bene ferre bonas fortunas.* Hæc autem perfecta virtus in paucis reperitur & præcipue in populo illo, eo quod Judæi crudeles essent, & ad avaritiam proni, per quæ vitia maxime deceditur in Tyrannidem. Et ideo Dominus a principio non instituit eis Regem cum tanta plenitudine Potestatis, sed Judicem & gubernatorem in eorum custodiam modo prædicto, quia sic eis magis competebat. Et ideo postea ad petitionem eorum Regem instituit quasi indignatus, quia scilicet Regimen aliud eis utilius abjiciebant. Quod autem in eodem argumento subjungitur de Regibus Oseæ 8. *Regnaverunt & non ex me*; non est ad propositum, quia loquitur de malis regibus: Et simile posset dici de malis Prælatis Ecclesiasticis, *qui non intrant per ostium in ovile ovium:* vel qui abutuntur accepta auctoritate. Et amplius dici posset, quod dicta auctoritas pro nobis est, quia Bernardus ad Eugenium lib. 2. eam exponit de Papa & Prælatis Ecclesiasticis, quærentibus dominatum, dicens: *Planum est, Apostolis interdicitur dominatus: Ergo tu tibi audes usurpare aut dominans Apostolatum aut Apostolicus dominatum: Plane ab alterutro prohiberis, &c. Alioquin non te exemptum putes illorum numero de quibus Dominus conqueritur sic dicens, ipsi regnaverunt & non ex me: Principes extiterunt; & non cognovi eos.*

Quod vero Trigeſimo ſexto dicitur de terra Sacerdotum, quæ ſub Pharaone libera erat a tributo, & cenſu: dicendum eſt quod per hoc demonſtrabatur Sacerdotes debere eſſe liberos quo ad onera perſonalia, & quo ad manſionem ſive manſum Eccleſiæ, & quo ad ea quæ eis donantur, ut Sacerdotes ſunt, & Miniſtri Dei pro Redemptione animarum: & non quo ad ea quæ titulo emptionis, vel aliter acquiruntur Eccleſiæ, quæ cum onere ſuo tranſeunt ad eos, ut notatur 23. *quæſt. ultima Cap. Tributum, & alio cap. Secundum Canonicam auctoritatem:* & hoc eſt Eccleſiis indultum ab Imperatoribus, & Principibus, ut ibidem dicitur.

CAPUT XX.

Confutatio Septimi ſenarii argumentorum pro Papæ auctoritate temporali. Trigeſimo ſeptimo, Epiſcopi ratione feudalium & temporalium Regi non Romano Pontifici obſequi tenentur: & quonam caſu Rex impedire poſſit ne Curia Romana ſervitia conſueta capiat, & ne Prælati Romam proficiſcantur: atque abuſum gladii ſpiritualis cohibere. Trigeſimo octavo, Jus patronatus poteſt competere laicis, & Jus Inveſtiturarum aut Regalium Principibus politicis: eoque jure privari non poſſunt niſi propter aliquem abuſum intolerabilem & incorrigibilem: quædam ſunt ſpiritualia cauſaliter & effective, ut Sacramenta: quædam conſequenter vel concomitanter; ut Jus decimarum, & hæc nullomodo Laicis convenire queunt: poteſt autem collatio & præſentatio beneficiorum aut Jus regaliorum quæ duntaxat antecedenter ſpiritualia ſunt, Eccleſiam non lædi aut gravari collationibus Regaliorum. Trigeſimo nono, perfectio uniuſcujuſqne rei debet attendi ſecundum cauſas eſſentiales ſui ſtatus, & ideo perfectio Papæ à ſpiritualibus non a temporalibus manat. Quadrageſimo, ſi in confeſſo eſſet Clericos magis pollere judicio & ratione quam Laicos, inde inferri deberet, illos non eſſe de temporalibus ſed de ſolis ſpiritualibus ſolicitos debere. Quadrageſimo primo, tametſi veritas aliquando reticeri debeat, nihilominus, nunquam ulli conceſſum eſt loqui contra propriam conſcientiam. Quadrageſimo ſecundo, quamquam Papa nullam habeat poteſtatem in temporalibus, non inde ſequitur hæreticos puniri non poſſe gladio materiali, cum Eccleſia brachium ſeculare invocare poſſit: Solus Papa Decreta fidei Catholicæ condere non poteſt, ſed Concilium Generale, quia orbis major eſt urbe.

QUod autem Trigeſimo ſeptimo opponitur de Epiſcopis vocatis a Papa, qui remanſerunt de mandato Imperatoris, & ſuper hoc reprehenduntur a Papa: dicendum, quod ſicut notavit Joannes ibidem, & infra eadem cauſa & quæſt. *Cap. Quo auſu.* Iſtud intelligitur de illis tantum Epiſcopis qui Levitica portione ſunt contenti: de aliis autem Regalia tenentibus, vel poſſeſſiones alias cum talia tranſeant cum ſuo onere, non intelligitur: imo tales dominis ſuis obedire tenentur, ſicut cæteri: & hanc diſtinctionem, ponit expreſſe Capitulum, *Si quis Epiſcopus.* Sed notandum quod hoc etiam videtur perſimile,

ſimile, quod Monachus translatus ad Epiſcopum magis eſt ſubjectus Archiepiſcopo, quam Abbati ſuo, & ei plus debet obedire. Similiter Monachus tranſiens ad Curam parochiæ alicujus permittente Abbate, in iis quæ ad curam illius parochiæ pertinent magis obedire tenetur Epiſcopo illius loci quam Abbati, & poteſt Epiſcopus ipſum viſitare & corrigere. Sic Epiſcopus accipiens feudalia, præcipue ſciente & permittente Summo Pontifice, magis tenetur obedire temporali Domino, quam Summo Pontifici: *Imo in caſu ubi jam præcipit ei Princeps aliquid de pertinentibus ad onera feudorum, videtur exemptus à Papa; ſicut Monachus ab Abbate.* Ita etiam determinat Hugo de Sancto Victore de Sacrament. lib. 2. parte. 2. cap. 7. dicens quod Principes dotantes Eccleſiam, non poſſunt in ipſam totaliter transferre dominium, ſic quod nihil de dominio retineant, cujus verba ſunt hæc. *Poteſt Eccleſia miniſtros habere Laicas perſonas per quas jura & judicia ad terrenam Poteſtatem pertinentia ſecundum tenorem Legum & debitum Iuris humani exerceat, ſic tamen ut idipſum quod Poteſtatis a Principe terreno ſe habere agnoſcat, & ipſas poſſeſſiones nunquam ita à Regia Poteſtate elongari poſſe intelligat, quin ſi ratio poſtulaverit, & neceſſitas, & illis ipſa poteſtas debeat patrocinium, & illi ipſæ poſſeſſiones debeant in neceſſitate obſequium. Sicut enim Poteſtas Regia patrocinium quod debet alteri, non poteſt dare: ſic ipſa poſſeſſio etiam ab Eccleſiaſticis perſonis obtenta, obſequium quod Regiæ poteſtati pro patrocinio debetur, jure negare non poteſt, ſicut ſcriptum eſt, Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo.* Sed forte dicetur, quod ſunt aliqui qui merentur iſto Jure privari, quia impediunt Spirituale donum, ſcilicet impediendo ne Epiſcopi vadant ad Curiam, quando illi ſunt vocati pro aliquo negotio ſpirituali: vel quando oportet eos vel alios illuc ire pro diſpenſatione ſuper Irregularitate, vel pro alia cauſa hujuſmodi: conſtat enim quod impedire hujuſmodi tranſitum, eſt impedire bonum ſpirituale. Amplius per tales arctationes paſſuum, & tales Leges ne aliqui portent extra Regnum pecunias, infertur damnum Curiæ Romanæ, & ſic poteſt Papa conqueri legitime & talia prohibere, & reputare Principem talem hoſtem ſuum, quia talia facit. Reſpondeo: prohibere ſimpliciter & univerſaliter impedire ne quacumque ex cauſa aliquis tranſeat, eſſet impedire ſpirituale bonum in caſu. Sed ſi prohibeatur cum exceptione, ſcilicet niſi ex cauſa rationabili de licentia Principis qui cauſam audiat, non eſt impedire bonum ſpirituale, ſi etiam per tales arctationes damnificetur Curia Romana, quia non accipit conſueta ſervi-

tia, non ideo debet reputari Princeps injuste agere & nocere Ecclesiæ, nisi faciat sola intentione nocendi, quia si faciat hoc pro suo vel terræ suæ commodo, licet inde per consequentiam damnum aliis contingat, sibi est licitum: quia cuilibet licitum est uti jure suo. Argumentum habetur ad hoc: aliquis habet fontem orientem in fundo suo, qui divisus per rivos rigat hortos vicinorum suorum, iste facit aquam descendere vel currere per diversa loca domus suæ, & sic impeditur ne currat ad hortos vicinorum, nunquid hoc est ei licitum? Dicit lex quod sic, licet aliis incommodum eveniat, quia utitur jure suo. Esto etiam quod faciat hoc Princeps intentione nocendi, adhuc in casu est licitum, scilicet si præsentibus probabilibus vel evidentibus argumentis appareat, quod Papa ad hoc vocaret Prælatos, ut cum ipsis aliquid machinari intenderet contra ipsum, vel contra Regnum suum. *Est enim licitum Principi abusum gladii spiritualis repellere, eo modo, quod potest etiam per gladium materialem: præcipue ubi abusus gladii spiritualis vergit in malum Reipublicæ, cujus cura Regi incumbit: aliter enim sine causa gladium portaret.*

Quod vero Trigesimo octavo, dicitur de collatione beneficiorum, dicendum, quod collatio ista competere potest Laico ex consuetudine, sicut præsentatio de Jure scripto: nam non plus repugnat Laico unum quam aliud, & potest competere de Jure Patronatus, si hoc fuerit in consuetudine habitum vel concessum ab Ecclesiis. Sicut enim dicitur octavo Ethicorum, *Benefacienti etsi non ex debito justitiæ, ex quo actiones nascuntur inter homines, tamen ex debito honestatis debetur de superabundanti honor; indigenti vero retributio lucri:* & inde est quod fundatoribus Ecclesiarum & patronis ratione beneficii accepti, Ecclesiæ a principio ex debito justitiæ non erant obligatæ: tamen ex debito honestatis, eis voluerunt concedere aliquid honoris, & aliquid utilitatis. Honoris quidem, præsentando ad beneficia, quod invenitur concessum patronis in Jure scripto expresse, & generaliter: tamen quibusdam excellentioribus patronis ut magis foveretur eorum devotio ad Ecclesias fundandas, est per dissimulationem, collatio concessa rationabiliter: & quia illud quod rationabiliter est concessum, licet ex gratia, & non ex debito Justitiæ in longam & præscriptam consuetudinem tractum convertatur in Jus commune, eo quod ut dicit Plato in Timæo, *Quod semel est rationabiliter institutum, non nisi divina voluntate immutari debere.* Ideo dicta præsentatio ad beneficia Ecclesiastica omnibus patronis debetur generaliter, & collatio quibusdam

excel-

excellentibus, qui hoc ex consuetudine habuerunt, debetur specialiter & de jure, ut eis auferri non possit sine injuria. Imo si quis auferre vellet eis sine causa evidenti & rationabili, indubitanter non posset: sed semper teneret Patroni collatio, quicquid ageretur contra hoc a quocumque. Nam ut dictum est supra. *Deus non dedit potestatem Petro, vel Ministris Ecclesiasticis in bonis Ecclesiæ ad ordinandum pro libito, sed pro bona fide, & ad ædificationem, & non ad destructionem, ut dicitur* 2. *Corinthiorum* 13. Deus enim non vult quod rite alicui est collatum ei auferri, nisi culpa interveniente: Nam secundum Apostolum Romanor. 11. *Sine pœnitentia sunt dona Dei:* & Job. 36. dicitur. *Non aufert a viro justo oculos suos, & Reges in solio suo constituit in sempiternum:* propter peccata enim fecit vasa Ægyptiorum spolia Hebræorum. Et ideo ex quo fuit in Principio Patronis concessum expresse vel interpretative per longam dissimulationem & ex causa rationabili, quia ex debito quo benefacienti honor debetur, etiam ut potentes proniores efficerentur ad dotandas Ecclesias, non est dubium non esse Papæ a Christo commissum quod talia revocare possit, sine evidenti & magna culpa, super quam Princeps monitus inveniretur incorrigibilis, & præcipue cum ex hoc Ecclesiæ sumpserunt magnum emolumentum. Quod ergo arguitur, quod collatio non cadit in laicum, cum sit idem quod spirituale: Respondeo, quod spirituale non dicitur proprie, nisi in habitudine ad Spiritum divinum per causalitatem seu per concomitantiam. Unde sacramenta Ecclesiastica sic spiritualia sunt, ut administratio Sacramentorum, quia gratiam spiritualem continent, & causant. Spirituali vero annexum dicitur quod habet ordinem ad dictum spirituale, vel per consequentiam ut Jus decimarum, vel per antecedentiam, ut Jus patronatus, & collatio præbendarum. Primum ergo quod est spirituale, proprie non cadit in laicum aliquo modo, nec secundum quod est annexum ei per consequentiam: quia tale dependet ex spirituali officio. Nam ratione spiritualium officiorum competit alicui Jus decimarum: & ideo sicut spirituale officium non competit laico, ita nec Jus prædictum, licet fructus corporales, qui nomine decimarum appellantur, laico competere possint de concessione Ecclesiæ. Sed tertium quod annexum est spiritualibus officiis per antecedentiam, ut præsentatio vel Collatio, seu Jus conferendi, quia non sic dependet a spirituali, sed e converso potest competere laico præcipue, vel ex concessione Ecclesiæ, vel ex permissione & ex longa consuetudine præscripta, potest Rex sibi Jus acqui-

acquirere cum ſibi non repugnet: quia ſi ei repugnaret, ei non poſſet convenire ex conceſſione cujuſcumque, ſicut nec adminiſtratio Sacramentorum, vel Jus decimarum poteſt competere Laico auctoritate cujuſcumque: adde quod nec ſit oneroſa Eccleſiis, ſed interdum fructuoſa, & præcipue Eccleſia ſciente, & permittente hoc Jure uti. Quod autem dicitur, quod dos non debet eſſe oneroſa; Reſpondeo: dicta conſuetudo cum non ſit damnoſa in Miniſtris Eccleſiæ, ſed in pluribus fructuoſa, non præjudicat Juri publico in genere, licet videatur præjudicare in ſpecie. Nam licet videatur præjudicare Epiſcopis qui privantur collatione beneficiorum, quæ de Jure communi eis debetur, tamen Eccleſiæ aliunde ex hoc emolumentum accipiunt, præponderans, ratione defenſionis & dotationis & fundationis, & ideo non præjudicat ſimpliciter, velut dicit Philoſophus 8. Ethicorum, *quia hoc facimus quod per amicos facimus:* Et ideo Eccleſiaſticus conferre dicitur, licet non per ſe, ſed per Patronum Laicum, cui ab eo conceſſum eſt rationabiliter. Quæ conceſſio non eſt revocabilis, niſi ſicut dixi. Et quod opponitur de conſuetudine contraria ſubſtantiæ contractus & inhoneſta; Reſpondeo quod hic nullus eſt contractus, nec conditio, quia Patroni non dant ſub conditione vel modo, ſed ſimpliciter, licet obligatio ſequatur collationem jam factam, nec eſt hic aliquid inhoneſtum, cum per violentiam non ſit ab Eccleſiis extortum, ſed ab Eccleſia ſic Patronis liberaliter conceſſum, licet ex debito honeſtatis quo cuique beneficio præcellenti debetur honor, & indigenti retributio lucri, ut dicitur 8. Ethicorum. Si etiam eſſet contraria ſubſtantiæ contractus, vel doni, ut dicit argumentum, non ideo ſequitur intentum, quod ſic pro non adjecta habeatur, & quod donum non maneat: hoc enim convenit in conditione inhoneſta, quæ eſt contraria ſubſtantiæ contractus, ut contraho tecum ſi occideris hominem. Sed ubi eſt conditio appoſita contraria ſubſtantiæ doni, donum vel contractus non tenet: ut ſi dicatur, contraho tecum ſi venenum aut ſterilitatem procures, vel aliud hujuſmodi: & ideo ſecundum illud donatio facta Eccleſiis non tenuiſſet, ſed rediret totum ad donatores. Quod vero dicitur quod Eccleſia gaudet Jure minorum, & reputat ſe deceptam; Reſpondeo: non ſufficit ad reſtitutionem quod ſit minor, niſi oſtendat ſe læſam, hoc certe Eccleſia facere non poſſet, cum appareat evidenter, quod ex dicta permiſſione facta eſt locupletior. Amplius; ſecundum magnos Juriſtas, Eccleſia ponitur in ultimo momento

mento 26. annorum à tempore læſionis factæ, ut ſic infra quadriennium quod vocatur tempus utile, tantum reſtituatur, & non ultra, niſi fraus probetur interveniſſe. Alii vero dicunt quod reſtituenda ſit uſque ad quindecim annos, ponentes eam in anno decimoquarto. Alii autem uſque ad triginta, ponentes eam in primo die minoris. Amplius dicit Goffredus, quod Eccleſia à minore differt in hoc quod Eccleſia præſcribit, & præſcribitur contra eam: ſed minor ſemper ſervatur illæſus, præterquam in longiſſima præſcriptione, quæ quidem contra minorem currit, ſed reſtituitur: contra Eccleſiam vero erit præſcriptio quadraginta annorum, nec eſt reſtituenda.

Quod autem dicitur Trigeſimo nono, quod Papa debet eſſe perfectus in vita activa. Reſpondeo: ex hoc ſolum ſibi convenit diſponere de rebus ſuis, & non de alienis, & prædicare aliis res eorum eſſe diſtribuendas, ſecundum quod exigit ordo Charitatis.

Quod Quadrageſimo opponitur de Clericis qui magis pollent ratione: Reſpondeo, ſi ſic eſt, non ideo præcipue debent regere in omnibus, ſed in majoribus, & in melioribus, ſcilicet in ſpiritualibus.

Quod autem dicitur Quadrageſimo primo, quod aliter loquentes loquuntur in favorem Principum: Reſpondeo; quamvis in caſu aliquo veritas ſit ſubticenda, ſicut Moyſes reticuit veritatem de repudio uxoris, Matth. 19. tamen nulli licitum eſt in caſu quocumque contra conſcientiam docere vel ſcribere in Doctrina religionis: & ideo dicere quod tanti viri inter quos aliqui fuerunt Summi Pontifices, ſcripſerunt contra conſcientiam ſuam in favorem Principum, vel ob timorem eorum, eſt ponere os in cœlum. Magis autem probabiliter poſſet è contrario dici, quod tales Doctores qui ſic indebite ampliant auctoritatem Papæ, loquuntur timore vel favore ipſius, cum ſint perſonæ Eccleſiaſticæ, quæ magis poſſunt per ipſum promoveri. Et præcipue cum ipſi dicant, licet male, quod Summus Pontifex non gratioſe amplectitur ſuam poteſtatem extendentes, & reprimit obloquentes, quod non faciunt Reges & Principes.

Quod autem Ultimo dicit ille de Cremona, tales pro Hæreticis habendos, qui dicunt Papam non habere poteſtatem in temporalibus, &c. Dicendum, quod iſte eſt temerarius in judicando, cum dicit nos ita dicere ut Eccleſia non poſſit coercere hæreticos: hoc enim falſum apparet, cum Eccleſia poſſit invocare brachium ſeculare contra hæreticos, *Extravag. de hæreticis. cap. Ad abolendam. &*

cap. Vergentis. Magis autem posset dici, quod iste Anathema esset, & non longe ab hæresi si cum pertinacia suum dictum assereret: Nam Papam habere utrumque gladium non continetur in Sacra Scriptura, quæ est regula fidei, & Deuteron. 4. dicit Dominus: *Non addetis ad verbum quod vobis loquor, neque auferetis ab eo.* Et in gestis primæ Nicænæ Synodi dicitur, quod perlecto Symbolo Nicænæ Synodi, decrevit Sancta Synodus aliam fidem nulli licere proferre vel conscribere, vel componere, præter definitam a Sanctis Patribus qui in Nicæna Synodo congregati sunt a Spiritu Sancto. Et subditur anathematis pœna. Et idem recitatur in gestis Concilii Chalcedonensis. AMPLIUS CUM FIDES CHRISTIANA SIT CATHOLICA ET UNIVERSALIS, *non potest Summus Pontifex hoc ponere sub fide sine Concilio Generali: quia Papa non potest derogare Statutis Concilii dist. 19. cap. Anastasius.* Nam licet Concilium non possit Papæ legem imponere *Extravagant. de electione cap. Significasti 35. quæst. 9. cap. Veniam.* Tamen non intelligitur in iis quæ fidei sunt, *eo quod Orbis major est urbe, & Papa & Concilium majus est Papa solo.*

CAPUT XXI.

DE DONATIONE CONSTANTINI, ET QUID PAPA PROPTER EAM POSSIT.

Frustra eos laborare, qui ex Donatione Constantini facta Ecclesiæ Romanæ, persuadere volunt Papam Jus habere deponendi Reges: cum ejusmodi donatio nunquam facta fuerit, & quamquam facta fuisset a Constantino, nullius esset roboris, quia ejus Successores ad eam tenendam minime obligarentur, cum par in parem non habeat Imperium. Fabulosum esse Imperium translatum fuisse a Græcis ad Francos, cum potius divisum fuerit in Orientale & Occidentale, postquam Carolus Magnus Italiam atque alias Provincias Imperii subegit. De Francorum virtute, & origine, quod nunquam Romano Imperio paruerint, & de Jure Præscriptionis, aliaque multa scitu digna.

VIso quid possint Viri Ecclesiastici, eo quod sunt Christi Vicarii, videndum est quid possint Summi Pontifices ex dono Constantini Magni Imperatoris. Dicunt enim quod Sylvestro Successoribusque dederit Imperium Occidentale, & Imperialia signa, ut Palatium suum & Coronam, & alia hujusmodi. Et ideo volunt aliqui, quod ratio-

ratione hujus doni Summus Pontifex Imperator est & Dominus mundi, & quod potest Reges constituere, & destituere sicut Imperator, & præcipue Imperio vacante. Ut autem ista melius pateant, præmittenda sunt aliqua ad factum pertinentia, quæ in Chronicis & Ecclesiasticis Historiis de hac translatione & donatione Imperii leguntur, ut melius videatur quid per donationem illam possit Dominus Papa, præcipue super Regem Franciæ.

Est quidem sciendum de Donatione prædicta, quod sicut accipitur ex Chronicis Hugonis Floriacensis, & in libro de Cosmographia, & ex Epistola Constantini ad Episcopos, & ex Testamento ejusdem, ipse Constantinus non dedit nisi certam Provinciam, scilicet Italiam cum quibusdam aliis, ubi Francia non includitur, & Imperium transtulit ad Græcos, ubi novam Romam ædificavit. Cæterum de translatione à Græcis ad Germanos facta per Romanos & Papam in persona Caroli Magni, ut dicunt, sciendum est ex Chronicis supradictis, quod non fuit translatio facta, quin remaneret Imperium apud Græcos secundum rem, & apud Occidentales secundum nomen: vel quod fuit facta divisio Imperii, ut duo Imperatores dicerentur, Romanus scilicet & Constantinopolitanus: Eo quod Romani leguntur ex triplici causa ab Imperio Græcorum recessisse, scilicet propter defensionem Reipublicæ, quam acceperant a Carolo Magno, Constantinopolitano Imperatore negligente: & ex odio Irenæ Imperatricis, quæ filium suum Constantinum & filios filii sui exoculavit, ut sola imperaret, provocati: & ex translatione Imperii ad Græcos ab eis per Constantinum Imperatorem facta indignati, & graviter ferentes Imperium Græcorum, laudes Imperii Carolo Magno Victori declamaverunt.

Ex quibus ergo suppositis apparet, quod ex dicta Donatione & translatione, Papa nihil potest super Regem Franciæ propter quatuor. Primo quidem, quia dicta Donatio non fuit nisi de portione determinata in qua Francia non includebatur, nec translatio fuit facta totius Imperii, sive Monarchiæ mundi ad Germanos, cum etiam post translationem prædictam quæ magis fuit divisio Imperii, vel nova Imperii appellatio, quam translatio, quia remanserunt adhuc Imperatores apud Græcos. Secundo, quia dicta donatio nihil valuit propter multa quæ in Glossa Juris Civilis ponuntur, & ut Jurisperiti communiter dicunt, *Quia Imperator ideo dicitur semper Augustus, quia ejus est augere Rempublicam, & non minuere:* & ita dicta Donatio non videtur

 tenuisse,

tenuisse, præcipue quia excessiva, & immensa, licet alias in remuneratione facta: & cum moderatione tenuisset. *ff. de Tut. l. Cum plures. cap. Primus.* Nec obstat quod dicit Lex, *quod mensura donationis in Ecclesia est immensitas, ut in Authentica de rebus Ecclesiæ non alienandis, cap. Sancimus.* Illud enim intelligitur, quando donatur de patrimonio Cæsaris, & non quando donatur de patrimonio Fisci, quia pro statu Reipublicæ constituendo institutum est ab Universitate, grave semper debet manere: de quo non potest largiri nisi cum moderamine & ex certis causis, in *Authent. Quomodo oportet Episcopos & Clericos, Col.* 2. Vel intelligitur in Principe non donante Ecclesiæ, sed permutante cum re Ecclesiastica, ubi non est periculum, si res Principis sit major, & non commensurata rei ab Ecclesia acceptæ. Secundo, quia Imperator est Administrator Imperii & Reipublicæ, ut dicunt Jura per Legem Regiam a populo latam, ut *de Constitution. Principum l.* 1. Sed si Imperii Administrator est Imperii Diminutor aut Vastator, donatio non valet. *Tit. proëmii Institution. & ff. pro emptore l. Quod fundum c.* 8. *Si tutor.* Tertio, quia si donare lex est, *C. De donatione inter virum & uxorem. l. Donationes.* Lex enim facta per unum seu ab uno revocari potest per Successorem: *Quia par in parem non habet imperium ut ff. de Arbitris. l. Nam & Magistratus:* dicta ergo donatio firma non fuit. Quarto, quia eadem ratione qua unam partem potest dare, & Successor potest & aliam, & sic Imperium deminoraretur & spoliaretur donis suis, quod est inconveniens, quia expedit quod Imperium sit locuples, *l. Legatus. ff. de Officio Præsidis.* & *in Authent. ut Judices sine quo suffrag. Collatio. secunda.* Ex quibus dicunt Juristæ, quod donatio non valuit.

Quod vero Deo displicuerit ex hoc sumitur Argumentum, quod legitur in Vita B. Sylvestri Papæ, quod in donatione illa audita est vox Angelorum dicentium in aëre, *Hodie in Ecclesia venenum effusum est.* Item B. Hieronymus dicit de isto Constantino, *Quod ab ipso usque in præsens tempus, Ecclesiarum rapinæ & totius orbis discordia sequuta est.* Dicit etiam Hieronymus, *Quod in tantam crudelitatem postea versus est; ut filium suum Crispum interficeret & uxorem suam Faustam: extremo etiam tempore vitæ suæ ab Eusebio Nicomediæ baptizatus est,* & sic bis baptizatus fuit, & amplius in Arrianum Dogma declinavit: & hoc idem dictum in Chronicis suis multi alii Chronicorum veraces Scriptores & fide digni imitantur. Quod autem aliqui defendere volunt, quod illud de filio suo intelligi non debet, patet esse falsum: tum quia B. Hie-

B. Hieronymus ſatis poſtea loquitur de ipſo Conſtantino. Conſtat autem, quod ab illo Conſtantino non incepit rapina Eccleſiarum, cum ipſius tempore non fuerit Eccleſiæ magna perſequutio. Conſtat etiam ex Chronicis, quod ſolus Conſtantinus & non filius ejus uxorem habuit Fauſtam nomine. Non invenitur etiam iſte Conſtantinus familiaris fuiſſe Euſebio Nicomediæ Epiſcopo, ſed alius Conſtantinus qui mortuus in ſua Eccleſia eſt ſepultus: & ideo illa ſceleroſa dicunt Hieronymus & alii de Conſtantino Magno, quamvis affectus pietatis ſuæ reddiderit eum bonæ memoriæ apud B. Gregorium in Regiſtro: Græci etiam apud eum devotionem conceperunt ex eo quod ad ipſos Imperium tranſtulit, & Conſtantinopolim apud eos fundavit.

Tertio apparet, quod ex dicta donatione nihil habet Papa ſuper Regem Franciæ, dato etiam quod valuiſſet & Generalis de toto Imperio fuiſſet: quia licet Galli inveniantur tempore Octaviani Auguſti Imperio Romano fuiſſe ſubjecti, tamen Franci nunquam; hoc enim legitur in diverſis Hiſtoriis, quod poſt excidium Trojæ, duodecim millia Trojanorum Duce Antenore, a quo primo dicti ſunt Antenoridæ, ad partes Pannoniæ juxta Mæotidas paludes pervenerunt, ibi Civitatem Sicambriam ædificaverunt, ſemper Imperio Romano infeſti: ibique manſerunt uſque ad tempora Valentiniani Imperatoris, a quo inde expulſi pro eo quod tributa Romanis juxta morem cæterarum Gentium ſolvere recuſaverunt: egreſſi autem inde cum ſuis Ducibus Marcomiro, Sunnone & Genebando venerunt & habitaverunt juxta ripam Rheni in confinio Germaniæ & Alemanniæ, quos cum multis prælius idem Valentinianus poſtmodum devincere non potuiſſet, proprio nomine eos Francos, id eſt, feroces appellavit. Et ab illo tempore virtus Francorum tantum excrevit, ut totam Germaniam & Galliam uſque ad juga Pyrenæi & ultra ſubjugaret: & Galliam habitantes, eamque Franciam nominantes, nullis Romanis nec aliis quibuſcunque fuerunt ſubjecti.

Quarto ex dicta donatione. Dato quod valuerit, & de toto Imperio facta fuerit, & dato quod Franci tunc fuiſſent Imperio ſubjecti, quod non dicimus, adhuc Papa nihil poteſt ſuper Regnum Franciæ, cum non ſit Imperator. Et amplius dato quod eſſet, Franci præſcripſerunt contra Imperatorem uſque ad dies iſtos. Tenuerunt enim ſic Regnum Franciæ Reges Sancti, & tam longo tempore, & bona fide, ut patet de B. Ludovico per Eccleſiam meritis ſuis evidentibus canonizato, qui ita tenuit & Eccleſia canonizando ſanctum approbavit, quic-
quid

quid dicant aliqui Theologi. Nam *cum Jure Humano ſit appropriatio rerum, & ſubjectio hominum* ſecundum Auguſtinum, Jura Humana poſſunt facere commune vel alienum, & quod meum eſt, ex cauſa rationabili non eſſe meum, & transferre dominium. Ex quo enim Jura Imperialia ſtatuerunt, quod aliquid poſt tantum tempus in præſcriptione transferatur, dominium transfertur: & hoc pro communi utilitate, vel in odium negligentis & in favorem bonæ fidei poſſeſſoris, & ne lites in infinitum protendantur, & multiplicentur: nec in hoc aliquis tenet alienum ſed ſuum, quod ſuum factum eſt Præſcriptione legitima. Et ideo dato, quod Regnum Franciæ alias fuiſſet ſubjectum Romano Imperio, tamen præſcripta eſt ſubjectio. Quod etiam patet ex Chronicis Sigeberti & aliorum: Ibi enim legitur, quod Carolus Magnus totam Italiam ſub Jure Regni Francorum ſubegit. Legitur etiam in Hiſtoriis Romanorum, quod olim Imperium fuit apud Francos. Et tamen conſtat, quod Italia nunc non eſt ſubjecta Francis, quod non eſt, niſi propter aliquam temporis Præſcriptionem quæ in talibus locum habet.

Ex prædictis etiam apparet, non valere quod dicunt aliqui Juriſtæ de præſcriptione Juriſdictionis & ſubjectionis, quod ſubjectio quæ Imperatori debetur præſcribi non poteſt: ſed illa tantum quæ debetur Baronibus inferioribus: Ita tamen quod ſubjectio remaneat ad ſuperiorem. Cujus rationem allegant, quia cum plures diſſentiant faciliter, non expedit ut plures regimen habeant, ſed quod unus toti mundo principetur: & ideo iſta utilitas præſcriptione tolli non debet. Sed parum valet iſta ratio, ut patet ex dictis ſupra Tertio Capitulo, quia verum eſt quod plures diſſentiunt faciliter in re una: & ideo melius eſt regimen Regum quam Ariſtocraticum, ut ſupra dictum eſt Cap. 1. Melius autem eſt plures pluribus Regnis dominari quam unum toti mundo. Quod ex hoc etiam apparet, quod tempore Imperatorum nunquam fuit mundus in tanta pace quanta fuit poſtea & ante, ſed frater fratrem, & mater filium occidebat, & e converſo, & cætera horribilia ſcelera per mundum currebant, & diſſenſiones permaximæ, de quibus non oportet modo narrare per ſingula. Mirum etiam eſt ſi præſcribi non poſſit contra Imperium Romanorum, ut dicunt illi, cum ante Regnum Romanorum fuerint Regna & Imperia, ſcilicet Babyloniorum, quod incepit a Nino tempore Abrahæ, Carthaginenſe tempore Judicum, Macedonum ſive Græcorum ab Alexandro tempore Machabæorum, & quodlibet prædicto-

dictorum est æque a Deo sicut Imperium Romanorum. Si igitur non obstante quod Græci habuerunt Imperium a Deo Romani præscribunt & præscripserunt contra Græcos, & usurpare tentaverunt Græcos expellendo, quare non possunt alii homines præscribere contra Imperium Romanorum, etiam eorum Dominium a se abjiciendo: præcipue cum eis se non subjecerunt voluntarie, sed violentia Romanorum, sicut de Gallis legitur, quod nunquam antequam venirent Franci voluntarie se subjecerunt Romanis, sed semper rebelles fuerunt prout potuerunt, modo quidem Romanos vincendo, modo e converso? Si ergo Romani per violentiam acceperunt, nunquid juste per violentiam etiam abjici potuit Dominium eorum, vel etiam contra eos præscribi? Si vero aliquis dicat quod Deo ordinante cessare debuit aliorum Imperium, & crescere debuit Imperium Romanorum: quare non sic potest dici de Romano Imperio, & quolibet alio, quod cessare debeat Deo ordinante, ut illi qui ante Romanis qualitercumque fuerunt subjecti amplius non debeant subjici, si discedere velint & possint? Imo expressius videtur haberi in Scriptura de Imperio Romanorum, quod deficere voluerit quam de alio: dicitur enim Numerorum 24. in Prophetia Balaam, *venient in triremibus de Italia & superabunt Assyrios, vastabunt Hebræos, & ad extremum etiam ipsi peribunt.* Ut dicit Magister in Historiis, *sicut Monarchiam prædixit Romanorum hic, & sic in fine temporum destructionem eorum.* Similiter in Daniele, ubi agitur de imagine quadriformi percussa in pedibus, dicit Glossa, *quod Regno Romanorum nihil fortius fuit, & nihil in fine debilius aut fragilius erit.*

CAPUT XXII.

AN LICITUM SIT DE HUJUSMODI PERTINENTIBUS DISPUTARE ET JUDICARE.

De Statu Papæ, ejusdem Potestate, abusu Potestatis, & defectu personali: quando & quatenus de iis inquirere & disputare, Concilium appellare, & Christianis Principibus injurias sibi a Pontifice illatas armis propulsare licitum sit.

NUnc vero inquirendum videtur, si sit reprehensibile judicare de factis Papæ, & quod aliqui dicunt quod est tangere montem & ponere os in cœlum. Dicunt etiam Dioscorum perpetuo condemnatum per Concilium Generale, quia Papam Leonem reprehendit & judi-

judicare voluit, 21. *distinct. cap. In tantum.* Sed circa hoc est considerandum, quod contra Papam potest intelligi esse quadrupliciter discussio & judicium, scilicet de statu, de potestate, de potestatis abusu, & personali defectu. De Statu quidem Papæ, scilicet an sit Papa vel non, dico quod discutere licet, cum possit venire in dubium propter defectum electionis: cujus tamen forma est certa in qua potest error incidere, sicut circa electionem cujuslibet alterius Prælati Ecclesiastici. Et iterum Papa propter defectum personæ, cum interdum possit aliquis esse quod esset a Sede repellendus, ut si esset fœmina, vel Hæreticus, sicut fuerunt aliqui qui ob hoc non enumerantur in Catalogo Paparum, & tanto magis est necessarium veritatem istorum requirere, quanto magis periculosum esset in hoc veritatem non agnoscere. Hoc tamen est observandum ut exceptiones in talibus frustratorie & supine non admittantur, quod ex tempore exceptionum factarum & ex personis excipientibus maxime observetur. Si vero contra personam vel electionem Summi Pontificis post discussionem diligentem a literatis & ab illis quorum interest factam, inveniretur aliquid illegitimum contra statuta, non esset dissimulandum, sed monendus cedere, & si nollet, posset excipi, & Generale Concilium peti, & ad ipsum Concilium appellari: imo in tali casu deberet, si pertinax inveniretur cum violentia, advocato brachio seculari à Sede removeri, ne prophanarentur Ecclesiæ Sacramenta. Sic enim legitur in Chronicis Romanorum Pontificum de Benedicto IX. de Cadelo Portuensi Episcopo, Constantino II. & aliis quibusdam, propter intrusionem per brachium seculare commendabiliter à Sede depositis. Sed quis judicabit eum Hæreticum? Responsio. Si dixerit & affirmando tenuerit aliquid quod est contra id quod est in Symbolo fidei per Ecclesiam alias approbato, jam dicitur judicatus: *nam qui non credit jam judicatus est.*

De Potestate vero Domini Papæ quid possit, vel quid non possit, credo, quod non sit reprehensibile inquirere veritatem, cum ignorantia sit periculosa, & non sit certum in quibusdam, ut utrum possit dispensare cum bigamo: vel utrum possit dispensare in solenni voto continentiæ: cum inveniatur aliquis Papa de facto dispensasse aliquando: & cum aliquis Papa dicat quod non possit, *Extravagante de ingredientibus monasterium*, & multa etiam alia infinita sunt de Potestate Papæ dubia, de quibus est utile dubitare, & etiam prout per rationes videtur alicui humiliter judicare.

De

De Potestatis vero abusu & personali defectu suo, an scilicet præbendas conferat pro communi necessitate Ecclesiæ, vel bono suo privato: & utrum sit Castus, sobrius, vel scelerosus, si non sit evidens aut manifestum, absque dubio non licet judicare, sed semper in meliorem partem interpretandum est & trahendum, etiamsi prima facie aliquid mali coloris occurrat. Et multo minus est licitum de Papa quam de aliis quibuscumque. Si vero sit factum ex genere suo malum & manifestum, ut incontinentia, vel homicidium, vel aliud ex lege prohibitum, non potest judicari per modum auctoritatis ab aliquo, citando vel excommunicando, cum superiorem non habeat. Unde Dioscorus qui Leonem Papam excommunicavit ut dicitur 21. *dist.* per Generale Concilium est perpetuo condemnatus. Per modum etiam judicii & correctionis dicunt aliqui quod non est judicandus: quia si Homicidium Samsonis, quod ex se malum est, interpretamur quod instinctu divino fuit factum, multo magis omne factum Sanctissimi Patris interpretari debemus in bonum. Et si quidem fuerit furtum vel aliud ex se malum, interpretari debemus quod divino instinctu fiat, cujus nutu regitur Ecclesia Sancta magis quam singularis persona. Sed B. Augustinus satis respondet in primo de Civitate Dei: Nam homicidium Samsonis, ut dicit, interpretatur factum instinctu Dei, qui per ipsum Sampsonem alia miracula operabatur. Ideo dicitur, si Papa errat privando Ecclesias Jure suo, dispergendo gregem Domini, scandalizando Ecclesiam ex quocumque facto suo, potest de facto suo judicari, persuaderi, & reprehendi à quocumque; quod si non ex officio, tamen ex charitatis zelo, non pœnam imponendo, sed cum reverentia exhortando: quia affectus qui personæ debetur, non minus ei debetur ratione majoris status ad quem assumptus est, & ideo sicut populo, ratione status ad quem assumptus est, non tenetur minus omnibus ad charitatis affectum, licet auctoritate servata secundum Augustinum: Ita è converso, cum alicui delinquenti teneatur quilibet ad correctionem fraternam ex charitatis zelo & debito ipsi facto, Papæ non minus tenetur quilibet impendere charitatis affectum, licet cum humilitate & reverentia. Unde Galatar. 2. cum venisset Petrus Antiochiam, *in facie restitit ei Paulus, quia reprehensibilis erat:* nec ideo quis dicitur tangere montes, vel ponere os in cœlum, id est contra eum, quando corripitur. Sed nec debet aliquis timere de Papa, quod propter hoc scandalizetur, quia scandalum passivum non cadit in viris perfectis, sed in

in pusillis tantum: unde timere in hoc scandalum Papæ, est in hoc tenere de Papa quod est pusillus, & minus perfectus quam quilibet alius quem aliquis audet corripere delinquentem: & ideo tales secundum veritatem ponunt os in cœlum qui talia prædicant de Sanctissimo Patre quod est vindicativus, & quod graviter portat omnem hominem facta sua qualiacumque judicantem: quod certe non est timendum, cum non sit pusillus, sed perfectus & aliis perfectior.

Sed quid si Papa dicat quod reputat talem hæreticum, qui tenet aliquid de quo sunt opiniones, & dicat hoc sine Concilio Generali, vel si dicat quod reputat hæreticum omnem hominem asserentem Regem Franciæ vel aliquem hujusmodi non esse sibi subjectum in temporalibus? Respondeo: verba Summi Pontificis indefinite dicta semper debent trahi ad aliquem sanum sensum, quantum potest fieri, unde dicta verba non debent accipi sic, quod non possit ad eum appellari, vel quod sit dominium habens in rebus ipsis, vel quod Papa se habeat intromittere de tuo & meo: hoc enim esset manifeste contra Scripturam, & contra omnem Doctrinam, & novitas quædam, quam non proferre debet Summus Pontifex, nisi cum magna maturitate & habito prius Concilio Generali, & discussione facta ubique per literatos: & ideo debet intelligi in sano sensu, scilicet ratione delicti, ubi quæstio movetur de peccato: vel debet intelligi in foro conscientiæ, ut dictum est supra, si super hoc non aperuerit intentionem suam: si vero finaliter aperiat intentionem suam in tam novo & injurioso sensu, quod absit, debet cum patientia tolerari, quantum potest sine periculo Justitiæ & veritatis, juxta illud Matthæi 5. *Quicumque angariaverit te mille passus, vade cum illo & alia duo millia*, & debet ad Deum haberi refugium, qui sicut cor Regis, ita & cor Papæ habet in manu sua, & potest ipsum quocumque voluerit inclinare & vertere, vel ipsum Papam, sicut & Regem de sede amovere. Si tamen periculum Reipublicæ sit in mora, quia scilicet trahitur populus ad malam opinionem, & est periculum de rebellione, & Papa commoveat populum indebite per abusum gladii spiritualis: ubi etiam non speratur quod desistat aliter: puto quod in hoc casu Ecclesia contra Papam debet moveri, & agere in ipsum: Princeps vero violentiam gladii Papæ posset repellere per gladium suum cum moderamine: nec in hoc ageret contra Papam, sed contra hostem suum, & hostem Reipublicæ, sicut Ajod Judæus qui Eglom Regem Moab interfecit sagitta infixa in femore ejus, eo quod gravi servitute populum

lum Dei præmebat, non eſt reputatus interfeciſſe Rectorem, ſed malum & hoſtem: hoc enim agere non eſt contra Eccleſiam agere, ſed pro Eccleſia. Sic enim commendabiliter populus zelo fidei commotus Conſtantinum Papam, qui Eccleſiæ in ſcandalum erat, oculis privavit, & depoſuit. Sic & Henricus Imperator Romam vadens Benedictum IX. & alios duos, qui contentionibus ſuis ſcandalizabant Eccleſiam, Imperiali & Canonica Cenſura depoſuit, & Clementem II. Romanæ Eccleſiæ Papam conſtituit, ut legitur in Chronicis Romanorum.

CAPUT XXIII.

QUOD PAPA NON POSSIT RESIGNARE.

Undecim Rationibus oſtenditur, Papam neque ſponte dignitatem Papalem poſſe ejurare, neque à quoquam alio deponi poſſe.

NUnc quia ſupponere videbar ſuperius, quod Summus Pontifex renunciare poteſt & deponi, & vivens poteſt fieri de Papa non Papa: videndum eſt quibus rationibus uſi ſunt qui dicebant Papam non poſſe reſignare voluntarie, nec deponi ſola auctoritate inferiorum Prælatorum, ut in iſto Capitulo ponantur rationes ad duos Articulos diſtincte ſuperius in Principio hujus Tractatus poſitos, eo quod ſunt multæ rationes quæ utrumque concludunt. Sit igitur Prima ratio eorum. Quod Papa renunciare non poteſt, quia Papatus à ſolo Deo eſt: quæ autem à Deo ſunt vel ab alio ſuperiori alicui committuntur, ab aliquo inferiori removeri non poſſunt: & ſic Papalis dignitas à nullo inferiori removeri poteſt. Secunda ratio eſt, quod nullus poteſt auctoritatem vel Poteſtatem auferre quam conferre non poteſt: ſed auctoritatem Papalem nullus poteſt conferre niſi Deus: Ergo nec etiam auferre, quod tamen fieret ſi Papa renunciare poſſet. Tertia ratio eſt *ex Decretali Inter corporalia. de Tranſlation. Epiſcop.* quæ expreſſe innuit quod depoſitio Epiſcoporum vel tranſlatio Epiſcopatuum ſoli Papæ reſervatur, & non niſi in quantum Deus, id eſt, Dei Vicarius. Ergo remotio Papæ ab officio, quia Papatus omnes dignitates excellit, per ſolum ſuperiorem ſicut Deum poteſt fieri: quia nulla ratio eſſe videtur, quod Dominus velit Epiſcopos ſolum per ſuperiorem Papam in quantum eſt Deus; & Papam ipſum poſſe removeri per inferiores ſe: Imo videtur quod Deus velit quod ipſe

ipſe ſolus per ſeipſum poſſit Papam amovere, qui ſolus eſt eo ſuperior. Quarta ratio eſt, Summa virtus creata per nullam virtutem creatam poteſt tolli. Sed Papatus eſt ſumma virtus creata: Ergo,&c. Quinta ratio eſt, quia nec Papa, nec tota univerſitas creaturæ poteſt facere quod Summus Pontifex non ſit Summus Pontifex: Ergo minus poteſt facere quod Summus Pontifex non ſit Summus Pontifex. Sexta ratio eſt, quia Papa non eſt Papa niſi per legem divinam, & non per legem creaturæ, nec omnium creaturarum ſimul: Ergo nullo modo videtur quod Papa poteſt eximi quin ſit Papa. Ex quo enim Papa conſenſit & ſe ſponte ſubjecit, non poteſt eſſe non Papa per creaturam aliquam, vel omnes ſimul. Septima ratio eſt, quia nullus poteſt tollere votum alicujus, niſi ille qui eſt ſuper votum: Sed Papatus eſt votum ſuper omnia vota, quia Papa vovet ſe gerere curam Univerſalis Eccleſiæ, & gregis Dominici, & quod de ipſo reddet rationem: Ergo ab ipſo ſolo Deo poteſt ab iſta obligatione abſolvi: non enim aliquis alicui ſuperiori obligatus, poteſt ſeipſum abſolvere, ſed ſolus ſuperior eum abſolvere poteſt. Octava ratio eſt: nullus videtur ſeipſum poſſe abſolvere à peccato: Ergo nec à Papatu: quod eſſet, ſi voluntarie renunciare poſſet. Nona ratio eſt, quia Papalis obligatio non videtur poſſe tolli niſi per majorem Poteſtatem quam ſit Papalis, qua tamen nulla major niſi Dei: Ergo, &c. Decima ratio, quia nulla dignitas Eccleſiaſtica poſt legitimam confirmationem poteſt tolli, niſi per ejus ſuperiorem: Sed Papa non habet ſuperiorem niſi Deum: Ergo. Undecima ratio eſt, eo quod Apoſtolus vult quod Chriſti Sacerdotium eſt æternum, quia Chriſtus vivit in æternum. Ergo nullomodo poteſt eſſe vita Summi Sacerdotis ſine ſummo Sacerdotio: quod tamen falſum eſſet ſi Papa renunciare poſſet. Iſta ſunt media, quæ videre potui ad hanc partem, quod Papa non poſſit renunciare, vel deponi.

CAPUT XXIV.

Exemplis & rationibus & præſertim à cauſa finali probatur, Papam poſſe ſponte Papatum ejurare, atque invitum etiam poſſe abdicari: Quod enim pro charitate & bono communi Eccleſiæ inſtitutum eſt, non debet contra charitatem militare.

NUnc vero oſtendendum multipliciter exemplis & rationibus, & auctoritatibus, quod Papa poſſit renunciare, & invitus deponi. De Renunciatione ponitur exemplum de B. Clemente, de quo legitur

in gestis Romanorum Pontificum, quod renunciavit, & post Linum & Cletum Cathedram recepit, ita quod Clemens fuit immediatus post Petrum, sed eo renunciante receperunt Cathedram Linus & Cletus, post quos fuit Quartus à B. Petro. Istud tamen exemplum potest capere calumniam, eo quod Haimo in Christianarum rerum memoria, & in aliis quibusdam Historiis dixisse legitur, quod Linus, & Cletus, non sederunt ut Pontifices, sed ut Summi Pontificis Coadjutores, quibus B. Petrus in vita sua Ecclesiasticarum rerum dispensationem tradidit, ipse vero tantum Orationi & Prædicationi vacabat. Et ideo prædicti Linus & Cletus tanta auctoritate dotati, meruerunt in Catalogo Summorum Pontificum reponi. Et sic secundum istos Clemens non renunciavit, sed immediate post Petrum Cathedram tenuit, usque ad Anacletum, vel usque ad Evaristum: puto tamen verius esse primum: & quod ideo forte Clemens resignare voluit, quia Petro adhuc vivente, ab ipso in Papam fuit ordinatus, ut ipse scribit ad B. Jacobum Hierosolymitanum Episcopum. Aliud exemplum potest poni de Marcellino, qui fuit tempore Diocletiani. Hic renunciavit ut dicitur in Glossa ordinaria 7. *quæst.* 1. *cap. Non autem:* Et 21. *dist. cap. Nunc autem*, dicitur quod se ipsum deposuit: sua enim renunciatio, fuit quædam depositio: ipsemet ut dicit Hugo ex gestis Romanorum Pontificum, contra seipsum sententiam tulit dictando, & contra seipsum eam proferendo, dicens: *Ego Marcellinus ob scelus idololatriæ quod ego infelix commisi, judico me condemnandum & deponendum: Anathematizo etiam quicumque corpus meum tradiderit sepulturæ.* Exemplum etiam potest poni de Cyriaco Papa, de quo legitur, quod cum Ursula & undecim millibus Virginum martyrizatus est. Scribitur etiam de eo, quod nocte quadam sibi revelatum est, quod cum illis Virginibus esset palmam Martyrii recepturus: tunc Clero & Cardinalibus Congregatis, omnibus invitis, & præcipue Cardinalibus, coram omnibus renunciavit & dignitati & officio. Sed iste Cyriacus in Catalogo Paparum non annumeratur: quia credebant ipsum non propter devotionem, sed propter oblectamentum Virginum dimisisse Episcopatum. Auctoritates etiam Sanctorum sunt ad hoc idem: unde Glossa ordinaria 7. *quæst.* 1. *cap. Non autem*, movet quæstionem in propria forma, *Nunquid Papa renunciare possit, quia vult transire ad Religionem, vel est æger, vel senex? Et respondet, quod utiqu e ptest renunciare:* assignans pro causa quod Marcellinus renunciavit, & Clemens. Et similiter 21. *dist. cap. Nunc autem*,

tem, movet eandem quæstionem Hugo, *& respondet quod sic, si expediret, & alias peccaret.*

Ad hoc etiam adduci possunt rationes ex parte causæ finalis, quia non eligitur aliquis in Papam, nisi propter bonum commune Ecclesiæ & gregis Dominici, ad hoc etiam præest ut prosit. Si ergo postquam fuit in Papatu, invenerit se, vel inventus fuerit ineptus totaliter, & inutilis; vel superveniat impedimentum, ut insania, vel aliud simile; debet petere cessionem à populo, vel à cœtu Cardinalium, qui in tali casu est loco totius Cleri, & totius populi: qua obtenta vel non obtenta; cedere tenetur: aliter enim quod ex charitate institutum est contra Charitatem militaret, si inutiliter & ad malum Ecclesiæ, & ad damnum animæ suæ præsidens renunciare non posset. Hoc enim generaliter est verum, quia nulla obligatio facta voluntarie, præjudicare potest Charitati vel obligationi, qua quisque tenetur solicitus esse de salute animæ suæ; sicut Religiosus, qui determinatam regulam novit, si videatur sibi & animæ suæ expediens ad arctiorem transire, potest petita licentia à superiore, & ea obtenta vel non obtenta transire ad eam libere. 19. *quæst.* 2. *cap. Duæ sunt leges. Qui privata lege ducitur, nulla ratio est ut lege publica constringatur:* & ideo si perpenditur mollities animi, vel ineptitudo ejus in scandalum Ecclesiæ, vel quod turbet Ecclesiam, seu quod dividat gregem Domini, faciens divisiones, & suscitans scandala, & si admonitus non desistat, etiam compellendus est ad cessionem: *Extravag. de Renunciatione. cap. Quidam cedendi. Et cum in postulatis.* Non est igitur irrationabile dicere, quod Papa possit cedere invito populo & reclamante, sicut fecit B. Cyriacus: & quod ipse invitus etiam, de consensu populi in tali casu possit deponi: quia cum ipse Papa & quilibet alius Prælatus præsit non propter se, sed propter populum, ut scilicet prosit; efficacior est consensus populi in hoc casu ad deponendum eum etiam invitum, si totaliter inutilis videatur, & ad eligendum alium, quam ejus voluntas ad renunciandum voluntarie populo invito & nolente. In depositione tamen qua deponitur involuntarius per populum, cum majori maturitate est incedendum quam in cessione vel renunciatione voluntaria: quia ad renunciationem sufficit quod causam alleget coram Collegio Cardinalium, quod est in hoc casu loco totius Ecclesiæ. Sed ad deponendum decet; quod fiat per Concilium Generale, ut patet 21. *dist. cap. Nunc autem.* Quod convocatum fuit Concilium Generale ad depositionem Marcellini. Credo tamen quod simpliciter

pliciter

pliciter sufficeret ad depositionem hujusmodi Collegium Cardinalium: quia ex quo consensus eorum facit Papam loco Ecclesiæ, videtur quod similiter possit eum deponere; siquidem fuerit causa rationabilis, & deponent eum meritorie. Si verò non fuerit sufficiens, peccant: Dicere autem, quod aliqua hic adducta non tenent contra Papam, qui non habet superiorem nisi Deum, non valet, ut patebit solvendo Argumenta.

CAPUT XXV.

Papalis Potestas formaliter quo ad institutionem & essentiam est à Deo; subjective autem & quo ad existentiam & electionem hujus aut illius personæ, est ab hominibus. Quonam sensu spirituale matrimonium dicatur fortius & strictius carnali conjugio; & cur carnale matrimonium dissolvi non possit, sicut spirituale. Papatus cum radicaliter & originaliter insit toti Ecclesiæ, & Collegio Cardinalium tanquam potestatem habenti ab Ecclesia, non potest ab Ecclesia auferri: sed tantum ab hac aut illa persona, cui solum exercitium committitur. Sacerdotalis & Episcopalis Potestas, quia Characterem imprimit auferri non potest, sicut Jurisdictio quæ electione & consensu Ecclesiæ defertur. Unde etiam ejusdem Ecclesiæ consensu tollitur. Papæ Potestas est à Deo, electio autem personæ ab hominibus, ex quo fit, ut hæc, non illa mutabilis sit.

AD Primum ergo cum dicitur, quod Papatus à solo Deo est: Respondeo dicendum, quod Potestas Papalis potest dupliciter considerari: Uno modo secundum se, & sic est à solo Deo, quia solus Deus potest hanc potestatem dare hominibus, quod absolutus vel ligatus in terra, sit absolutus vel ligatus in Cœlo. Alio modo potest considerari ut est in isto vel illo, & sic est à solo Deo eo modo, quo omnia opera nostra Deo attribuimus: Isaiæ 16. *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine: Ipse enim est qui operatur omnia in nobis, & velle & perficere.* Sed quæ sic sunt, à solo Deo sunt: sicut ei soli attribuitur omne opus nostrum, si operamur & non deficimus in opere quod in nobis est, id non excludit operationem nostram: nam cooperatores Dei sumus. Igitur licet Papatus sit à solo Deo, in se tamen in hac persona vel illa est per cooperationem humanam: scilicet per consensum electi, & eligentium, & secundum hoc per consensum humanum potest desinere esse in isto vel in illo: sicut cum anima rationalis sit à solo Deo per creationem, tamen quod sit in hoc corpore, cooperatur humidum radicale & naturæ dispositio in disponendo & organizando corpus: & ideo per operationem naturalem potest desinere esse in illo corpore, quando scilicet calor naturalis consumpsit in

in tantum humidum, quod corpus sit ineptum pro anima rationali.

Ad Rationem, cum dicitur quod solus Deus potest conferre Papatum: Ergo & auferre; Dicendum est ut ad primam, & per idem exemplum potest etiam addi aliud exemplum: Nam solus Deus dat gratiam, & tamen oportet quod homo ibi cooperetur: *quia qui fecit te sine te, non justificabit te sine te:* & potest aliquis auferre sibi gratiam suam per actum suum.

Ad Tertiam Rationem de illa Decretali *Inter corporalia*, *de translation. Episcopor.* Ubi positio, translatio, & cessio Episcoporum reservatur soli Papæ; Respondeo, hoc magis est ad concludendum quod Papa possit sine auctoritate superioris renunciare, quam quod non possit. Cum enim existentia rerum hoc habeat, ut per quæ aliquid constituitur per hæc eadem contrario modo se habentia destruatur: sicut fit conjugium quoddam inter Prælatum & Ecclesiam per consensum eligentium & electi: Ita per dissensum dissolvitur. Unde quilibet Episcopus inveniens se mollem & ineptum ad curam & regimen Ecclesiæ suæ, allegata causa, coram populo vel Capitulo suo, posset resignare, nisi esset à Superiore ei prohibitum, & ei specialiter reservatum: de Episcopis & Archiepiscopis constat per illam Decretalem *Inter Corporalia.* Et quia de Papa non invenitur prohibitum, sicut de Episcopis inferioribus, ideo Papa potest resignare & deponi sine auctoritate cujuscumque superioris: *In casibus enim quæ fiunt secundum exigentiam rei, & causæ, hoc est licitum quod non est prohibitum: in illis vero quæ supra rei & causæ conditionem sunt, non est aliquid licitum quod non fuerit concessum*; ut ordinare de Ecclesiis quæ pertinent ad Papam qui est Caput Ecclesiæ, est super conditionem Episcoporum inferiorum: unde nulli eorum est licitum nisi specialiter sibi sit concessum. Non est igitur simile de Papa, de quo non est reservatum superiori, nec ei prohibita est resignatio, ut de inferioribus Episcopis, quibus interdicta est, & Superiori reservata. Potest nihilominus aliter responderi ad hoc Argumentum, & ad alia quædam, *quod ubi apparet manifesta causa rationabilis, sicut ubi est defectus manifestus, supponitur consensus & auctoritas Dei ad renunciationem & depositionem, sicut in ejus confirmationem supponitur.* Et tamen considerandum quod ex Decretali prædicta posset aliquis prædictum Argumentum fortificare sic, quia ibi dicitur, quod fortius est vinculum spirituale inter Episcopum & Ecclesiam quam carnale inter virum &

uxorem

uxorem suam: Si ergo vinculum carnale inter virum & uxorem nulla humana Potestate vel auctoritate, vel consensu quorumcumque interveniente potest solvi; Ergo nec vinculum spirituale Papæ ad Ecclesiam. In Episcopatu enim contrahitur matrimonium spirituale, in Electione ratificatur, in Confirmatione & Consecratione consummatur. Respondeo, vinculum spirituale dicitur fortius carnali quia dignius & non quia durabilius. Potest enim solvi spirituale matrimonium etiam post consecrationem Episcopi translatione, *ut* 7. *quæst.* 1. *cap. Mutationes. & cap. Pastoralis.* de depositione *dist.* 50. *cap. Postquam, de Cessione. Extravagan. de Renunciatione.* in multis locis: Non sic autem matrimonium carnale. Vel ideo dicitur fortius, quia plus adigit & constringit quam carnale, & non dicitur fortius quia indissolubilius: Prælatus enim majorem curam debet habere de Ecclesia sua, cum sit bonum commune, quam vir de sua uxore, cum hoc sit bonum particulare. Vel dicitur fortius, quia de se fortius est quam carnale. Quod enim carnale sit durabilius, quia conjuges non possunt separari quandiu vivunt, hoc potissime habet ex mandato Christi qui hoc præcepit in Evangelio dicens, *Quos Deus conjunxit, homo non separet:* propter quod Apostolus primæ Corinth. 7. dicit: *Præcipio, non ego, sed Dominus uxorem à viro non discedere: Quod si discesserit manere innuptam, aut cum viro suo reconciliari.* Ratio autem quare mandavit Deus non solvi matrimonium carnale, est, quia ex ejus solutione licet interdum posset provenire bonum personale, tamen hoc esset in malum commune, quia inde inducerentur homines communiter ad dimittendum uxores: secus vero est de Matrimonio spirituali. Si enim persona cum est inutilis & scandalizativa non posset resignare, vel deponi, & alius eligi, hoc esset in malum commune: quia cum talis præesset hoc esset in bonum particularis personæ: Ideo istud non prohibuit: imo si intelligatur ratio legislatoris, prohibendo matrimonium carnale non dissolvi, præcepit spirituale dissolvi, quando manifeste apparet quod obest bono communi.

Ad Quartam vero Rationem, quæ videtur specialiter probare, quod Papa non possit deponi voluntarius, quia Papatus est summa virtus creata: Respondeo; hic dicerent aliqui, quod argumentum concludit verum: quia licet renunciare possit, tamen invitus deponi non potest, nisi forte sit hæreticus: quia sic pro mortuo habetur, & ita se habens non potest esse Caput Christianorum. Et hoc ipsi ostendunt per hoc quod habetur, dist. 21. cap. *Nunc autem:*

ubi dicitur *quod nullus rite potest ab his qui sunt inferioris dignitatis, vel Ordinis Judicialibus submitti definitionibus:* & ibidem etiam dicitur de Marcellino Papa, *quod nullus Episcoporum ausus est in eum proferre sententiam*, sed sibi dicebant, *non nostro judicio sed ore tuo judica causam tuam:* & rursum dixerunt; *Ex ore tuo condemnaberis*; propter quod in legenda ejus dicitur quod seipsum deposuit, & depositus postea est reelectus. Sed istud non intelligitur, quia cum Papa præsit Ecclesiæ, potest renunciare nolente Ecclesia, ut dictum est de B. Cyriaco: quare potest involuntarius deponi per Ecclesiam si causa subsit necessaria. Amplius Capitulum specialis Ecclesiæ, ubi Episcopus nullo tempore ad sanæ mentis officium redit, vel etiam si interdum redit, & requisitus cedere noluerit, potest & debet alium eligere, 7. *quæst.* 1. *cap. Qualiter. cap. Quamvis triste.* & ibidem *Joannes, & Extravag. de Renunciatione cap. Quidam cedendi.* Ergo à simili Collegium Cardinalium vice totius Ecclesiæ poterit Papam invitum deponere. Item *dist.* 40. *cap. Si Papa*, dicitur: *Cunctos judicaturus, à nemine judicandus est, nisi deprehendatur à fide devius:* Ubi dicit Glossa, *Quod si deprehenderetur in quolibet alio vitio, & admonitus non corrigeretur, & Ecclesiam scandalizaret, & incorrigibilis esset, inde posset accusari, & deponi: quia talis contumacia hæresi æquipollet.* Item si in hæresim lapsus deponi potest, quia pro mortuo habetur, quare non similiter si in vitium labatur de quo non exhibet se corrigibilem, cum talis etiam pro mortuo habeatur, & nihil esse reputetur, dicente Augustino, *quod peccatum nihil est, & nihil fiunt homines cum peccant.* Pro defectu etiam si requisitus noluerit renunciare, alius ordinandus est ipso invito, quia sic videtur malignari. *Quod vero dicitur de Marcellino, quod non ausi fuerunt eum condemnare: hoc fuit quia pœnituit, & corrigi voluit: & quia nihil erat probatum contra eum, nisi quantum ex ore suo voluntarie confitebatur, & ideo ex ore suo judicabatur.* Quod ergo dicitur in Principali Argumento quod Papatus est summa virtus creata, & sic non potest auferri; Respondeo; *Licet sit summa virtus in persona, tamen est ei æqualis vel major in Collegio sive in tota Ecclesia:* vel potest dici, *quod potest deponi à Collegio, vel magis à Generali Concilio auctoritate divina, cujus consensus supponitur & præsumitur ad eum deponendum, ubi apparet manifestum scandalum & incorrigibilitas ipsius præsidentis.*

Ad Quintam Rationem, ubi dicitur, quod non potest fieri quin Summus Pontifex sit Summus Pontifex, sicut quod Pontifex non sit Pon-

Pontifex: Respondeo non est simile: quia Sacerdos & Pontifex non dicunt nisi ea quæ sunt Ordinis, scilicet Characterem Sacerdotalem, vel Potestatem fundatam super ipso Charactere, licet diversimode: quia in Sacerdote imprimitur Character, quasi imperfectus, super quo fundatur Potestas conficiendi, sed non faciendi alium Sacerdotem sibi similem in Potestate conficiendi: Episcopo autem confertur Characteris perfectio, in quo fundatur Sacerdotalis Potestas perfecta: qua potest alium Sacerdotem facere: & ita Episcopus est ut vir perfectus, Sacerdos vero simplex ut puer: Episcopus etiam est Sacerdos non quilibet sed magnus & sponsus Ecclesiæ, quia potest quasi generare sibi similes, scilicet ordinando Sacerdotes: Archiepiscopus vero, Patriarcha, Primas, & Papa non important ex nomine suo ultra Sacerdotium & Episcopatum aliquid quod pertineat ad Potestatem Ordinis, vel ejus augmentum & perfectionem: sed solum dicunt ex nomine suo Gradus Jurisdictionis: Archiepiscopus quidem in sua Provincia, Primas in Regno, Papa in tota Ecclesia. Et quia Potestas Ordinis est indelebilis, & ejus perfectio indelebilis, eo quod super Characterem & super Characteris perfectionem fundatur, ideo nulla virtute fieri potest quod Sacerdos non sit Sacerdos, vel quod Episcopus non sit Episcopus. Jurisdictio vero sicut potest augeri vel minui, ita potest deleri & tolli: & ideo amota Jurisdictione, Papa desinit esse Papa, & Summus Pontifex desinit esse Summus Pontifex, licet non desinat esse Pontifex.

Ad Sextam Rationem, cum dicitur quod Papa non est Papa nisi per Legem divinam, & non per Legem alicujus creaturæ: & quod ex quo subjecit se legi sponte, non potest non esse Papa per aliquam creaturam, vel per omnes: Respondeo, hæc ratio duplici innititur fundamento: unum est quod Papa est Papa per Legem divinam, quæ est immutabilis, & ideo non potest desinere esse Papa; aliud est quod subjecit se legi sponte quæ est in ea perpetuari. Quantum ad primum fundamentum; Responderi potest, quod non obstante quod Papa est Papa per Legem divinam, quæ est immutabilis, tamen potest non esse Papa: quia licet divina Lex sit immutabilis formaliter in se secundum quod inferiora reducuntur ad Deum per superiora, & sic inferiores Prælati per Papam: tamen mutabilis est materialiter in isto scilicet, vel in illo, UT IN CÆLESTINO VEL BONIFACIO: quia ad hoc cooperatur creatura, ut dictum est supra. Quod ergo Papa sit super omnes, est de Lege divina, & non potest contrarium fieri: sed

ſed quod iſte vel ille ſit Papa, mutabile eſt, quia ad hoc cooperatur conſenſus eligentium, & electi. Quantum ad Secundum fundamentum; Reſponderi poteſt, quod Papa ſubjecit ſe Legi Eccleſiæ ſponte, quæ eſt, in ea perpetuari quantum ad ea quæ ſunt Ordinis: quia ſemper poteſt ea facere quæ ſunt ſpiritualia, ſcilicet ordinare, quia ſi quem ordinet, ordinatus eſt. Sed quantum ad ea quæ ſunt Juriſdictionis ex lege, ſponte non eſt perpetuo & immobiliter ſubditus Eccleſiæ, quia Juriſdictio poteſt auferri. Ratio autem quare illa quæ ſunt Ordinis, non poſſunt auferri, & ea quæ ſunt Juriſdictionis auferri poſſunt, eſſe poteſt, quia ea quæ Juriſdictionis ſunt non ſunt ſuper naturam & conditionem negotii & ſuper conditionem hominum: quia *non eſt ſuper conditionem hominis, quod homines præſint hominibus, imo naturale eſt quodammodo: In talibus autem quod non eſt prohibitum eſt conceſſum, ut per eaſdem cauſas deſtruatur per quas conſtruitur, modo contrario ſe habentes.* Et ideo ſicut per conſenſum hominum Juriſdictio datur, ita per contrarium conſenſum tollitur. Ea autem quæ ſunt Ordinis ſunt ſuper naturam & conditionem negotii, & rerum, ut quod ad prolationem talium verborum Character vel Poteſtas ſpiritualis imprimatur in anima: *& ideo in talibus, quod non eſt expreſſe conceſſum, eſt negatum:* unde quia expreſſe collatum eſt, quod ad tale verbum talis Character imprimatur, ideo ſic fit. Sed quia non immediate expreſſe invenitur conceſſum quod per quemcumque modum auferatur, ideo impreſſio vel collatio Characteris, ſuper quo fundatur Poteſtas Ordinis, eſt indelebilis. Per hoc ergo quod Papa legi ſponte ſe ſubjecit, perpetuari habet in ea quantum ad illa quæ ſunt Ordinis, ut quantum ad Sacerdotium, & Epiſcopatum in quibus imprimitur Characteris perfectio: ſed quantum ad ea quæ ſunt Papatus vel Summi Pontificatus; cum Papatus & Summus Pontificatus non addant niſi Juriſdictionem, non oportet quod perpetuetur, cum Juriſdictioni renunciare poſſit.

Ad Septimam Rationem de Voto quod Papa emiſit: Reſpondeo: Votum Papæ, quod ſcilicet univerſaliter habebit curam gregis Dominici, debet intelligi quamdiu erit in Officio, ſcilicet quamdiu erit Papa: ſic enim qui fiunt Poteſtates Civitatum, communiter jurant ſe tenere Statuta Communitatis & ſervare Communitates illas in ſtatu bono: quæ omnia intelligenda ſunt quamdiu durat Officium eorum. Juramentum enim quo aliquis juraret quod ſemper eſſet in Officio tali vel Papatu, & ſimpliciter vel abſolute haberet curam de

popu-

populo, esset illicitum: quia militare posset contra bonum commune, utpote si videret se insufficientem & bonum commune languere, & perire sub se.

Ad Octavam Rationem, quod nullus potest seipsum absolvere à peccato: Respondeo, non est simile: quia absolvere se à peccato est ascendere: sed absolvere se à Papatu est descendere. Non valet autem Argumentum, si aliquis non potest ascendere quod non possit descendere. Vel potest dici, quod homo absolvit se à culpa in contritione, & quod si teneatur confiteri alii à quo absolvatur, hoc est solum ex Domini præcepto Jacob. 5. *Confitemini alterutrum &c.* Et Lucæ 17. dixit Dominus Leprosis, per quos peccatores intelliguntur, ut ostenderent se Sacerdotibus.

Ad Nonam Rationem, quod Papalis obligatio non potest tolli nisi per majorem: Responsio patet sicut ad alias: quia Papæ obligatio non est nisi conditionata, scilicet, quamdiu est in officio.

Ad Decimam, quod nulli Dignitas Ecclesiastica post legitimam confirmationem tolli potest nisi per superiorem: Responsio, planum est quod hoc intelligitur de Dignitate quæ confirmatur per superiorem: sed ascensus Papæ sine superiore confirmatio ejus est: & ideo descensus ejus sine superiore cessio est.

Ad Undecimam, de Sacerdotio Christi æterno: Responsio patet ex prædictis: Nam Sacerdotium Christi fuit æternum, quia Christus vivit in æternum ratione oblationis: & sic concedo de Papa, quod Sacerdotium ejus durat semper quandiu vivit: quia indelebilem habet Characterem & semper erit Sacerdos, & poterit offerre in altari: sed Papatus ejus non necessario est quamdiu vivit: sed potest cedere, vel ex magna causa deponi: quia Papatus ultra Episcopatum & Sacerdotium continet jurisdictionem quæ mutabilis est, & sine hac Papa non potest esse Papa.

Finit Tractatus de Potestate Regia & Papali, compositus à Magistro Joanne de Parisiis Ordinis Prædicatorum Doctore Theologo.

DIS-

DISPUTATIO

INTER CLERICUM ET MILITEM SUPER POTESTATE PRÆLATIS ATQUE PRINCIPIBUS TERRARUM COMMISSA INCERTO AUCTORE, TEMPORIBUS BONIFACII VIII. PONTIFICIS ROMANI SCRIPTA SUB FORMA DIALOGI.

CLERICUS Sermonis sui exordium sub hac forma posuit dicens: Miror optime MILES, paucis diebus tempora mutata, sepultam justitiam, eversas leges, jura calcata. MILES. Grandia verba sunt ista, & ego Laicus, qui quamvis paucas puer didicerim literas, non tamen ad profundum veni, ut tam alta verba à me possint intelligi. Et ideo venerande Clerice, si mecum desideratis habere Colloquium, planiorem oportet accipere stilum. CLERICUS. Ætate mea vidi Ecclesiam in honore magno apud Reges, Principes & Nobiles universos haberi: Et nunc video è contra, miseranda Ecclesia facta est vobis omnibus præda: Exiguntur à nobis multa, dantur nulla, si nostra bona non damus rapiuntur à nobis, conculcantur jura nostra, libertates astringuntur. M. Non facile credam Regem cujus Consilium sunt Clerici injuste agere vobiscum, aut apud eos perire jus vestrum. C. Imo certe contra omne jus injurias innumeras sustinemus. M. Scire vellem quid vocatis jus. C. Jus voco decreta Patrum & Statuta Romanorum Pontificum. M. Quæ illi statuunt, si de temporalibus statuunt vobis possunt jura esse, nobis vero non sunt. Nullus enim potest de iis statuere super quæ constat ipsum dominium non habere: Sic nec Francorum Rex potest statuere super Imperium: Nec Imperator super Regnum Franciæ. Et quemadmodum terreni Principes non possunt aliquid statuere de vestris Spiritualibus, super quæ non acceperunt potestatem: sic nec vos de temporalibus eorum super quæ non habetis auctoritatem. Unde frivolum est quicquid statuistis de temporalibus, super quæ potestatem non accepistis à Deo. Unde nuper mihi risus magnus fuit, cum audissem noviter statutum esse à DOMINO BONIFACIO VIII. quod ipse est, & esse debet super omnes Principatus & Regna: & sic facile potest sibi jus acquirere super rem quamlibet: cum non restet nisi

nisi scribere, quia totum erit suum, cum scripserit, & sic totum erit vestrum: & ubi statuere nihil aliud est quam sic teneri velle, nihil ergo aliud erit jus habere quam velle: Non habet ergo nisi ut scribat, hoc volo jus esse, cum voluerit castrum meum vel villam meam, agrum meum aut pecuniam & thesaurum habere. Nec latet vos sapientem Clericum, ad quantum vos deducat ista Disputatio ridiculum. C. Satis acute Domine Miles & versute ista contra nos protulistis: & ad hoc totius sermonis vestri series seu discursus quantum ipse intelligo tendit, quod Dominus Papa de vestris temporalibus nihil potest statuere: quia non constat eum super temporalibus vestris dominium accepisse: Et si nos ipsi hoc ex nostris velimus probare dictis aut Scripturis, totum pro nihilo ducitis: quia nostrum scribere, ut dicitis, Dominium nobis aut Potestatem quæ aliunde non venerat dare non potuit: sed si Christianus vultis & Catholicus verus esse, non negabitis Christum rerum omnium Dominum esse, cui dictum est in Psal. 2. *Postula à me, & dabo tibi Gentes, &c.* de quo etiam scriptum est, quia ipse *est Rex regum, & Dominus dominantium.* Ista non sunt nostra, sed Dei verba: nec nos ea scripsimus, sed ea misit Dominus, & Spiritus Sanctus dictavit. Et quis dubitat illum hæc statuere posse quem constat universorum Dominum esse? M. Nullo modo Divinæ Potestati vel dominationi resisto, quia Christianus sum, & esse volo: & ideo si per Divinas Scripturas ostenderitis Summos Pontifices esse super omnia temporalia Dominos, necesse est omnino Reges & Principes Summis Pontificibus tam in spiritualibus quam in temporalibus esse omnino subjectos. C. Facile hoc est ex superioribus posse ostendi: Tenet enim fides nostra, Petrum Apostolum pro se & suis Successoribus institutum esse plenum Vicarium Jesu Christi: & certe plenus Vicarius idem potest quod & Dominus ejus, cum nulla exceptione, nulla potestatis diminutione est Vicarius institutus. Si ergo non negatis Christum de vestris temporalibus statuere posse, qui Dominus est cœli & terræ: non potestis sine rubore eandem Potestatem pleno Vicario denegare. M. Audivi à viris Sanctis ac devotissimis duo tempora in Christo distingui: alterum humilitatis, & alterum Potestatis. Humilitatis usque ad suam passionem: Potestatis post suam resurrectionem: quando ipse dixit: *Data est mihi omnis Potestas in cælo & in terra.* Matthæi ultimo. Petrus autem constitutus est Christi Vicarius pro statu humilitatis, non pro statu gloriæ & Majestatis: non enim factus est Christi Vicarius ad ea

quæ Christus nunc agit in gloria, sed ad ea imitanda quæ Christus egit humilis in terra, quia illa nobis necessaria sunt. Illam ergo potestatem suo Vicario commisit, quam homo mortalis exercuit, non illam quam glorificatus accepit: Et ut ista per Scripturas quas inducitis ostendamus, de eisdem Scripturis vobis testimonium proferemus. Ipse enim Christus dixit Pilato: *Regnum meum non est de hoc mundo: & quod non venit ministrari, sed ministrare*, Lucæ 22. Hoc testimonium adeo manifestum est, ut hominem resistentem possit confundere, & cervicem quamcumque duram obterere. Et hoc sic, *Dixit Jesu quidam de turba, Magister, dic fratri meo ut dividat mecum hæreditatem: at ille dixit ei, ô homo quis me constituit Judicem & divisorem super vos?* Lucæ 12. Auditis ergo aperte Christum in temporalibus nec Judicem nec divisorem esse constitutum. Ergo in statu illo susceptæ dispensationis nec temporale Regnum habuit, nec etiam affectavit. Imo cum illi qui multiplicatis panibus comederant eum quærerent, ut ipsum Regem facerent, fugit: & in commissione Petro facta non Claves Regni terrarum, sed Claves Regni Cœlorum tradidit. Et Hebræorum Pontifices constat Regibus fuisse subditos: & à Regibus, quod procul à vobis absit, fuisse depositos. Et ut scias Christi Vicarium ad spirituale Regnum, non ad temporale dominium assumptum: accipe ab ipso Paulo nec minus clarum testimonium: Dicit enim sic: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ ad Deum sunt*, non ad gubernandum terrenum Dominium, *sed ut offerat dona & sacrificia pro peccatis.* Vides ergo quod præficitur Pontifex in iis quæ sunt ad Deum, cum Paulus Timotheo scribat: *Nemo militans Deo secularibus negotiis se implicet.* Patet ergo, Christum Regnum temporale non exercuisse, nec Petro commisisse. Nam & Petrus dicit Actuum sexto cap. *Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis*; id est, temporalibus dispensandis. Et quamquam possint aliqua temporalia per ipsos Pontifices dispensari; satis tamen patet, quod non debeant in terrenis Regnis & Principatibus gubernandis, quæ totum sibi vendicant, occupari. Unde auctoritates quas induxistis superius, Domine Clerice, scilicet *Postula à me &c.* Et quod *ipse est Rex regum, &c.* non ad statum primum pertinent, sed ad secundum: In quo primo statu sic patuit quod Christus nullam potestatem temporalem exercuit, imo à se penitus abdicavit: & in iis solum, & non in aliis quæ ad dispensationem nostræ salutis exercuit, Petrum sibi Vicarium destinavit,

vit, quem nec militem fecit, nec coronavit in Regem, sed in Sacerdotem & Episcopum ordinavit. Quod si vultis adhuc contendere Christi Vicarium eam Potestatem in temporalibus habere quam Christus habuit in cœlis, non quam Christus exercebat in terris: forsan ista pertinacia non erit in fine vobis gratiosa: quod vobis patebit sic. Constat enim cuilibet fideli sapienti, quod si ei præciperet Deus pecuniam suam, agrum suum, aut vineam alteri cuilibet dare sine cautione, nulla petitâ ratione, nulla expectata cognitione, statim deberet obedire. Si ergo contenditis Papam eandem Potestatem habere: Ergo concedere necesse est quod omnia vestra bona & nostra & aliorum potest sine causæ cognitione cui voluerit Nepotulo vel consanguineo dare, tollere Principatus & Regna, & eis dare pro suæ libito voluntatis. Sed quam absurda sint ista vos videte, & utrum placerent si vobis hæc fierent respondete. Quod si à tanta absurditate recedere per vivam rationem cogimini, & Papa cogetur resilire. Tenendum est igitur quod non accepit in temporalibus tantam Potestatem ipse Christi Vicarius, sed eam solam quam Christus in sua humilitate exercuit & ostendit. C. Negatis ô Miles Ecclesiam cognoscere de peccato? M. Hoc absit: nam qui hoc negaverit, pœnitentiam & Confessionem abnegabit. C. Si quid injuste agitur peccatum est, & qui habet cognoscere de peccato cognoscet utique de Justo & Injusto. Cum ergo Justum & Injustum in negotiis rerum temporalium sit, consequens etiam est ut Ecclesia de causis temporalibus debeat judicare. M. Argumentum istud cornutum est, cujus vanitas & infirmitas per Argumentum simile repellendum: In suspendendis latronibus, aliisque damnandis habetur Justum & Injustum & peccatum etiam. Ergo etiam ratione peccati debet Papa de sanguine judicare: sed plumeum est vestrum Argumentum, ideo levi ratione sufflatum. Nunc restat vobis ostendere, quomodo vestra cognitio, domine Clerice, circa Justum & Injustum secundum leges humanas quæ de talibus sanxerunt, non sit de temporalibus judicandis: secundum quas Leges, & sub quibus omnibus personis subjectis est vivendum. Manifestum est ergo illum debere secundum Leges judicare, & secundum easdem de Justo & Injusto cognoscere, cujus est Leges condere, & interpretari, exponere & custodire, aggravare & mollire, cum ei videbitur expedire. Si ergo vos in judicio temporalium simul vultis cum illo contendere, aut concurrere, cognoscendo de Justo & Injusto, jam contra Scripturam, *Aratis cum bove & Asino:*

& Principe dicente hoc est Justum, Pontifex dicet hoc est Injustum: & fiet quod dicit Habacuc Propheta: *in præcipitium factum est Judicium contradicente potentiore, propter hoc lacerata lex, & non pervenit usque ad finem Judicium*, Cap. 1. Quia vere non erit hoc Justitiam & Judicium facere in terra, sed Justitiam & Judicium in terra dilacerare. Et ego ostendam vobis secundum Paulum, unde vestra cognitio debet incipere, quod Principes suo Jure de Justo & Injusto cognoscunt & eorum sententiæ unusquisque sicut tenetur attendet & ei obediet, sicut præcipitur Deuteron. 17. *Si quis autem tumens superbia, non obedierit ejus Imperio, &c.* Nam Princeps cujus est officium judicare, ubi non habet Potestatem resistendi, vel coërcendi, tunc incipit vestra cognitio: quia tunc accedere debet vestra monitio, dicente Apostolo Paulo ad Titum 3. Cap. *Admone illos Principibus & Potestatibus subjectos esse & subditos*, & ad Romanos 13. *Omnis anima Potestatibus sublimioribus subdita sit.* Ubi autem maleficia & scelera manifesta sunt, veluti prædæ, rapinæ, & similia, nec est qui velit aut possit corrigere: non nego vos in iis casibus debere, vel posse vestram potentiam exercere, sed non de Justo vel Injusto: quia de hoc non habetis cognoscere, aut manum ad hoc apponere. Et cum manifestum fuerit aut per sententiam Juris, aut evidentiam sceleris, quæ nulla egent cognitione, tunc non poterit ad vos ista materia & forma de quibus dictum est pertinere: alias si propter peccati colligantiam vultis de prænotatis casibus cognoscere, non restat nisi fora Principum claudere, Leges silere, & Decreta Pontificum & vestra sola resonare. Artare vos volo & urgere una quæstione, utrum sit vestrum de causa matrimonii cognoscere? Et ego nunc vado Paduam pro quadam hæreditate quam peto nomine uxoris meæ quæ habet in ea succedere: videtis quod ratione matrimonii mihi competit petere illam hæreditatem: nunquid propter matrimonii colligantiam, de quo habetis cognoscere, debeo coram vobis de hæreditate litigare? Robertus de Flandria pro uxore sua petens Ducatum Burgundiæ nomine dotis, debuitne coram Rege vel Episcopo litigare? Imo plane dico, vobis omnibus Clericis inhibitum, ne cognitionem de dote contra Deum & justitiam usurpetis, cum promissio dotis mere & vere sit pactio temporalis, & sæpe firmari possit Regalibus instrumentis. Et quia vobis usurpatis aliena, evenit vobis illud vero Dei judicio, qui in eo nihil inultum patietur. Patet ergo quod sit vanum & frivolum quod ex tali vicinitate rerum velitis vobis fingere colligantiam.

tiam in cognitione causarum, quamvis ad hæc omnia unum solum debet vobis sufficere quod supra memoravimus de Euangelio Lucæ 12. dicente Domino Jesu, *ô homo quis me constituit Judicem aut divisiorem super vos?* Ostendit enim quod secundum eam Potestatem quam homo mortalis exercuit, non pertinebat ad eum de hæreditate judicare. C. Nonne debent temporalia spiritualibus deservire? Ergo temporalia debent esse subjecta spiritualibus, & spiritualis Potestas temporalem regere debet Potestatem. M. Vere debent spiritualibus temporalia deservire suo casu, quia tenentur Dei cultoribus necessaria ministrare. Nam hoc omnis gens quasi innatum habuit & habet instinctum, & hoc naturali Jure decrevit natura naturans, ut ministrantibus Creatori, seu divina celebrantibus necessaria ministrentur, & honoris debitum & vitæ necessaria præbeantur. Quod etiam Pharisæis in Lege quam Dominus Moysi tradidit & Sacerdotibus abundanter & caute providit, non Dominium tamen aut Regnum temporale commisit. Et Apostolus ad Corinthios Cap. 8. *Si spiritualia vobis seminavimus, non est magnum si carnalia vestra metamus.* Sed si vultis scire quale dominium præbeat ministris, accipite per ordinem verba Christi & ejus Apostoli Pauli: Dicit enim Christus de Discipulis suis ad prædicandum missis, *Dignus est enim operarius mercede sua:* & Paulus de seipso & cæteris Apostolis ait. *Quis militat suis stipendiis unquam:* quasi diceret, nullus: Et scriptum est in Lege Moysi, *Non alligabis os bovi trituranti.* Ecce quibus vos comparavit Christus & Paulus ejus Apostolus. Utique operariis & stipendiariis. Nunquid operarii & stipendiarii sunt rerum Domini? *Videtis quod temporalia conceduntur vobis, non ad dominium sed ad vitæ subsidium, & ad spiritualis ministerii sumptum. Et ex Lege Moysi comparamini bovi trituranti, cui satis est accipere pabulum, quamquam ipse suo labore impleat horreum.* Et quod dicitis spiritualem Potestatem regere temporalem Potestatem, jam vobis est per Apostolum Paulum superius responsum ibi, *Quod omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & Sacrificia pro peccatis:* & in iis habent nos regere, videlicet quæ sunt ad Deum: sed ad Ecclesiam non pertinet in iis quæ foris sunt aliquid judicare. Quod si adhuc contenditis Summum Pontificem superiorem esse per omnia in derisiones mirabiles incidetis: Si enim cum creatur Papa, creatus sit Dominus omnium: Ergo simili ratione, creare Episcopum, erit creare illum Patriæ Dominum:

& Sacerdos meus erit Dominus Castri mei, & Dominus meus: *quia sicut Potestas Papæ est in toto, ita Potestas istorum est in illa parte cui præsunt.* Ergo cessandum est ab ista stultitia, quæ ab omnibus irridetur, & tantis Scripturarum testimoniis ac rationibus confutatur. Nam in Veteri Lege discimus non Sacerdotes à Regibus, sed Reges & Principes à Sacerdotibus & Prophetis adorari, & eos ad se vocari, & quæ placebant Regibus imperari, & in iis quæ interdum erraverant publica dispensatione temporalium increpari, ut 3. Regum 1. & 2. Capitulis. C. Miror quod dicitis super dispensatione temporalium Regem arguisse Pontificem. M. Vos excitatis canem dormientem, & cogitis me loqui de iis quæ ante non cogitavi. C. Excitetur canis & latret. M. Quoniam uti nescitis utilitate & patientia Principum, timeo quod post justum latratum, sentietis & morsum. C. Quid intereſt Regum & Principum super dispensatione temporalium nostrorum: ipsi sua habeant, & nostra nobis dimittant. M. Nostra multum intereſt per omnem modum. Nunquid non intereſt nostra circa salutem animarum nostrarum super omnia cogitare? Nunquid non intereſt nostra pro parentibus mortuis debita prosequi obsequia, & etiam suffragia postulare? Nonne vobis à parentibus nostris ad hoc sunt nostra temporalia data, & copiose ministrata, ut in cultu divino totaliter expendantur? Sed certe nihil facitis inde, sed omnia vestris necessitatibus applicatis, quæ per eleemosynas & opera charitatis in visceribus pauperum claudere deberetis. Nonne est necesse quod per hujusmodi sanctissima opera mortui liberentur, & salvarentur vivi? Nonne cum ea ad propria expenditis, superflueque consumitis, & ea contra intentionem dantium & etiam quodammodo accipientium dispergitis male utendo, vivos & mortuos læditis, & vivis & mortuis damnabiliter derogatis? Nonne ei qui vult militare aufertur stipendium? Et certe vassallus non implens servitium merito perdit & Feudum: Et ut vobis imponam super hac quæstione silentium, & quod super hoc nostrum sit dolere & remedium apponere, accipite fortissimum & apertissimum Capitulum Scripturæ Sanctæ. 2 Paralipp. 24. cap. Legitur enim de Rege Joas: *Fecitque quod bonum est coram Domino cunctis diebus Jojadæ Sacerdotis:* & de eodem Rege legitur 4 Reg. 12. cap. *Vocavit Rex Joas Jojadem Pontificem & Sacerdotes dicens eis, Quare sarta tecta non instauratis templi? Nolite ergo amplius pecuniam accipere à populo juxta ordinem vestrum, sed ad instaurationem templi*

reddite

reddite eam: Prohibitique sunt Sacerdotes ultra accipere pecuniam à populo, &c. Vides ergo, quod laudatur rex Joas à Domino, quia curam accepit, ut oblationes juxta intentionem dantium expenderentur in cultum divinum, hoc est, ad instaurationem templi: Laudat enim Regem Joas Deus, ut ostenderet, quod non delinqueret, quia non cupiditate sed pietate, non ambitione sed religione id faceret: & ad tollendam suspicionem Rex testem volebat habere ipsum Pontificem; unde sequitur: *Cumque viderent nimiam esse pecuniam in Gazophylacio, ascendebat scriba Regis & Pontifex, effundebantque, & numerabant pecuniam, quæ inveniebatur in domo Domini.* Ecce laudata est Regis religio, quia curam gessit, ut bona illius veteris Ecclesiæ servarentur solicite & expenderentur religiose. Scio quod durum sit vobis hoc audire; tamen nihil refero nisi verba Scripturæ. Dictum enim vobis est superius, quod hæc accepistis omnia ad vitæ subsidium, & ad Sanctæ militiæ stipendium, ad victum habendum & vestitum: quibus duobus dicit Apostolus se esse contentum; & quicquid superest in pios usus pauperum, & miserias ægrotantium expendere debetis. Quod si non feceritis, multum nostra interest de eisdem curam habere, ne animas mortuorum, salutemque vivorum defraudetis. C. Rex iste Joas bona sibi non tulit, sed in usus Ecclesiasticos expendit: vos autem hodie bona nostra tollitis quæ non in religiosos usus, sed militares tumultus & bellicosas classes expenditis. Unde exemplum quod induxistis vestris operibus adversatur, & vestram violentiam solum colorat. M. Semper in malum vestrum contra stimulum Regum calcitratis: Est hoc vobis non molestum, quod de bonis Ecclesiæ secum tollunt Nepotuli vestri & consanguinei, aliæque personæ interdum inhonestæ? Sed vobis est omnino intolerabile & molestum, quod Rex mansuete petit à vobis, & pro gratia accipit pro vestra salute & defensione Ecclesiæ & bonorum vestrorum. C. Me miserum, pellemque meam tollitis cum carnibus, & hoc appellatis salutem? M. Non perstrepite, sed patienter audite: Considerate vicinos vestros suis egere, & ad vestra respicere. Si deficeret Regis Potestas qualis esset requies vestra? Nonne ignobiles egeni & prodigi, si consumpsissent sua, converterentur ad vestra? Ergo Regia manus vester murus est: Pax Regis pax vestra, salus Regis salus vestra, quæ si deesset aut forsan esset subtracta, vel peccatis vestris exigentibus à vobis discederet, & vicinis super bona vestra grassantibus, nunc exigentibus, nunc comminantibus atque vastantibus bona vestra,

vestra, cogeremini omnibus servire. Si videretis prorsus bona vestra perire, quanto velletis ea redimere, & quod manus Regia rediret sicut prius? Videtis ergo cum pauca Regi traditis, quomodo salutem vestram redimitis, quando omnia bona vestra disperdenda salvat. Sed sicut vos semper fuistis beneficis ingrati, sic estis nunc in vestris profectibus querulosi. Quod si manus hostilis Rege cadente Regnum invaderet, nonne omnes prædis & rapinis interiretis, & ferocitatem barbaricam quam vobis implacabilem sentiretis, relictis sedibus territi & attoniti fugeretis & totum perderetis, qui modo super minimis doletis? Quod si Reges & Principes suis stipendiis suisque periculis tenentur vos defendere, seque morti pro vobis gratis exponere, & vos sub umbra quiescere, comedere splendide, jucunde bibere, super lectos ornatos quiescere, quiete dormire, & in stratis mollibus lascivire: Ergo & vos vere estis soli Domini, Reges vero & Principes, vestri servi: Et alii pro vobis & res & personas offerunt morti. Si datur personis Ecclesiasticis requies, non est magnum si pro personis serviant opes: hoc dicitis esse durum, sed non quiescitis donec more solito convicti fueritis ac etiam confutati divinis quibus non potestis obviare Scripturis: Nam de Joas Rege superius memorato scribitur 4 Regum 12. & 2 Paralipp. 24. Cap. *Quam ob rem tulit Joas Rex Juda omnia sanctificata quæ consecraverat Josaphat, & Joram & Ochosias patres ejus Reges Juda, & quæ ipse obtulerat, & universum argentum quod inveniri potuit in thesauris templi Domini, & in palatio Regis, misitque Hazaeli Regi Syriæ & recessit ab Jerusalem.* Ecce aperte, quod pro redemptione populi accepit ea quæ consecrata erant in templo Domini: non tamen pepercit Regis palatio quando tulit ista de templo. Et eodem modo 4 Regum 18. Cap. legitur sic de Ezechia Rege sancto: *In tempore illo confregit Ezechias valvas templi Domini & laminas auri quas ipse affixerat, & dedit eas Regi Assyriorum.* Quod si dicas, quod Ezechias egit male: Respondeo sic: habetur in 2 Paralipp. 32. *Ezechias non reprehenditur in omnibus operibus suis præterquam in legatione Principum Babylonis.* Quis ergo damnabit, quem in omnibus Scriptura laudavit? Si erratis non intelligentes Scripturarum veritatem, quid ergo contra Reges & Principes contenditis? Legitur enim lib. 2. Machab. Cap. Quinto, *Non propter locum Gentem, sed propter Gentem locum Deus elegit.* Non est ergo parcendum Ecclesiæ materiali, ubi discrimen imminet Genti Christianæ, quod S. Ezechias & Josaphat intellexit, & fideliter adimplevit. Si enim

bona vestra sunt Ecclesiæ & populus in Ecclesia est, quanto justius substantia illa, à qua salus populi pendet, expendenda est? Unde Dominus Matthæi 12. cap. *Dico autem vobis quia Templo major est hic.* Nec dubium est, quin templum spirituale, quod est homo, dignius sit materiali, & templo lapideo. Intelligit ergo Rex pius & prudens in illis verbis Domini Dei voluntatem, nec ulterius quærat auctoritatem. Nec est parcendum materiali templo, nec iis quæ dedicata sunt templo, ut salus reddatur & pax periclitanti populo Christiano. Nec est blandiendum Ecclesiarum superfluitati, imo succurrendum tantæ Gentis necessitati: sed quia Rex ea quæ sibi licent jure divino facit cum beneplacito vestro, non veremini exasperare Regem in mansuetudine vobiscum agentem, & solita benevolentia vos regentem. Cavete à Verbis Salomonis: *Quia ira Regis nuncius est mortis.* C. Si possunt revocari quæ semel Deo sunt donata, ergo irritari possunt omnia vota? M. Hoc non est quæ Deo data sunt revocare, sed illis usibus quibus fuerunt data applicare. Quæ enim sunt Deo data, eo ipso sunt piis usibus dedicata. Quid enim potest sanctius esse, quam Christiani populi salus: & quid pretiosius Domino, quam hostes, raptores & interfectores arcere à populo Christiano, & quam pacem subjectis & fidelibus emere. Cum ergo in iis bona Ecclesiæ expenduntur, vere usibus quibus fuerunt dicata redduntur. C. Si ad Scripturas Sacras recurritis, quare libertates nostras infringitis, quas libertates constat nos ex ipsis traxisse Scripturis? Dominus enim interrogat Petrum Matthæi 17. *Reges terræ à quibus accipiunt tributum, à filiis suis an ab alienis? Et ille dixit ab alienis: Dixit illi Jesus: Ergo liberi sunt filii. Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore ejus, invenies staterem; illum sumens, da eis pro me & te.* Vides ô Miles, quod Christi servitio mancipati omnino sunt liberi. M. Si Euangelium bene respicitur, à Christo solo census sive didrachma petebatur: Ideo pro Christo dari videtur ista responsio: ipse enim est filius Dei, filius Regis magni. Et sicut filius Regis, major est præside: sic filius Dei major est, & major erat Cæsare: & sic illa responsio proprie videtur esse pro Christo. Attamen quia illi qui principaliter ministrant Regi, nullatenus ad publica onera sunt trahendi; Concedimus, quod Clerici in suis personis sunt liberi: quod non dico de iis qui vita & conversatione laici sunt, qui non ad honorem Dei, sed in fraudem sunt Clerici, sicut patet ad oculum non tonsurati: sed de

his qui Christum sequuntur, ut Petrus, & sacris altaribus mancipati sunt: Concedimus, inquam, plane de iis quod liberi sunt, non dico clare per Euangelium, sed quia Euangelio & eorum officio videbatur consonum, indultum est eis hoc per privilegium Principum: Nam ab origine Ecclesiæ dixit Paulus ad Roman. 13. *Omnis anima Potestatibus sublimioribus subdita sit*: & post, *Non solum propter iram, sed propter conscientiam*: & post ibidem dicitur: *Reddite omnibus debita, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal*: Videtis ergo quod omnis anima est subdita, & vectigalis & tributaria. Sed, ut dixi, nunc estis in personis liberi, quia officio Christi mancipati: numquid per hoc & eadem libertate gaudebunt agri? Si enim Ecclesia emerit censualem agrum, numquid cui solvendus est census perdet eum? C. Non de censibus, sed de exactionibus sermo est. M. Sicut ego super certos agros habeo certum censum, sic Imperator super orbem terrarum pro defensione Reipublicæ, cum opportunum fuerit, pro arbitrio voluntatis potest levare tributum. Clara enim ratione conceditur, ut Respublica Reipublicæ sumptibus defendatur, & quæcumque pars gaudet ista defensione, æquissimum est, ut cum aliis ponat humerum sub onus. Si ergo juste omnes possessiones subditæ sunt ad onus publicum, quantum ad annuum censum, ad quoscumque transeunt, semper erunt sub onere hoc, ubi necessitas fuerit Reipublicæ, siquidem cum aliis indigent semper defensione. Quod si dicitis quod contra hoc præscripsistis longa usi libertate: Respondemus vobis, quod quanto benignitate Principum fuerit libertas vestra longior, tanto ubi major apparet necessitas debet esse vestra voluntas promptior ad subveniendum. Nam & irridet Scriptura vestram præscriptionem, cum à Salomone usque ad Joas, & à Joas usque ad Ezechiam non legitur esse factum, quod tamen Ezechias perfecit. Nam & multæ civitates privilegiis & consuetudine ab exactionibus liberæ, patienter solverunt, & solvunt hodie quod placuit Principi pro defensione Regni, vel communitatibus vel personis. Et si Deus, ut dicitur, propter ingratitudinem revocat peccatorum remissionem, videatis ne propter vestram rebellionem non mereamini non minus, sed etiam plus onerari, & tandem facultate simul & potestate denudari. C. Nunquid per Regem tollendæ sunt gratiæ nobis per Reges concessæ, & per beatorum Principum Privilegia Sanctæ Ecclesiæ concessa? M. Fateor & verum est, amplissima vobis privilegia per bonos Principes indulta: scire vero debetis, quod quicquid Rectores Reipublicæ faciunt,

ciunt, ad utilitatem Reipublicæ intendunt, & ad eam habentes oculum juxta illam regulam cuncta disponunt in tantum, quod salutem Reipublicæ saluti propriæ, quod est in Principe gloriosissimum, anteponunt, exemplo David 2 Regum cap. 24. unde constat & testimonio, & recta ratione eos nihil concedere cui non possent in posterum Reipublicæ causa derogare. *Unde plane colligitur in omnibus privilegiis hoc exceptum scilicet, ut si privilegium indultum, videatur inposterum Reipublicæ nociturum, vel pro ardua necessitate, vel utilitate Reipublicæ manifesta, mutandum sit.* Igitur non est dubium, quin pro Regni necessitatibus gratias vobis indultas legibusque sanctitas, possint altissimi Principes, consultiori suspendere ratione, & secundum exigentiam temporis mutare: ut invenimus per Salomonem sapientissimum in pœna furti aliquid Lege divina immutatum. C. Imperatores sanxerunt ista, non Reges: & ideo per bonos Imperatores ô Miles nunc erit Legum gubernacula moderi. M. Hoc responsum est blasphemia: Et quoniam ut videtur, aut originem ignoratis Regni, aut quod videtur verius, illius altitudini invidetis, si Caroli Magni registrum inspiciatis & historias probatissimas revolvatis, invenietis quod Regnum Franciæ dignissima conditione Imperii portio est, pari divisione ab eo discreta, & æquali dignitate & auctoritate à quingentis annis circiter insignita. Quicquid ergo privilegii & dignitatis retinet Imperium Imperii nomine in parte una, hoc Regnum Franciæ in alia. Cum enim ex fraterna divisione Francorum Regnum à reliqua parte Imperii decessit, quicquid in parte decedente & penitus ab Imperio separata existente Imperium ipsum quondam obtinuit, aut ibidem Juris altitudinis, aut Potestatis exercuit, hoc Principi seu Francorum Regi in eadem plenitudine cessit: Et ideo sicut omnia quæ infra terminos Imperii sunt, subjecta esse noscuntur Imperio; sic quæ infra terminos Regni, Regno. Et sicut Imperator supra totum Imperium suum habet Leges condere, addere eis aut demere, sic & Rex Franciæ aut omnino Leges Imperatorias repellere, aut quamlibet, cum placuerit, permutare, aut illis à toto Regno suo proscriptis & abolitis, novas si placuerit, promulgare. Alioquin si aliquid novi, ut sæpe accidit, visum fuerit statuendum, si Rex non posset hoc, qui est summus, tunc nullus poterit; quia ultra eum non est superior ullus. Et ideo Domine Clerice Linguam vestram coërcete, & agnoscite Regem Legibus, consuetudinibus, & privilegiis vestris & libertatibus datis, Regia Potestate præesse, posse ad-

dere, posse minuere quælibet, æquitate & ratione consultis, aut cum suis Proceribus sicut visum fuerit temperare. Et ideo si aliquid pro salute Regni tuenda, videritis istis temporibus immutari, acceptate, & patienter hoc ferte, Paulo Apostolo hoc vos docente ad Roman. 13. *Qui Potestati resistit; Dei ordinationi resistit:* Ne qui contra stimulum calcitrant injuste, semel puncti iterum se pungant: *Obedite Præpositis vestris, & subjacete eis:* ad Hebræos in fine. David autem sub Achimelech Principe Sacerdotum, tempore necessitatis panes propositionis, qui solis Sacerdotibus parati erant, & nullis aliis licebat comedere, comedit, & aliis dedit comedendos qui secum erant: Et Matthæi 12. Sabbatum propter hominem, non hominem propter Sabbatum factum est: *Itaque Dominus est Filius hominis etiam Sabbati.* Et primo Paralipom. cap. 29. *In manu tua magnitudo & Imperium:* & ibidem, *Et adoraverunt Deum, deinde Regem:* Item ibidem, *& unxerunt secundo, Salomonem Filium David: unxerunt autem eum Domino in Principem, & Sadoch in Pontificem.* Et 2 Paralipom. cap. 23. *Nec quispiam alius ingrediatur domum Domini nisi Sacerdotes, & qui ministrant de Levitis, ipsi tantummodo ingrediantur quia sanctificati sunt: & omne reliquum vulgus observet custodias Domini. Levitæ autem circumdent Regem, habentes singuli arma sua: & si quis alius ingressus fuerit templum, interficiatur: sintque cum Rege intrante, & egrediente,* &c. *Unxitque eum Jojada Pontifex, ibique,* &c.

QUÆ-

QUÆSTIO DE POTESTATE PAPÆ.

REx pacificus Salomon, cui dedit Dominus divitias & ſapientiam, ſicut habetur 3 *Regum* 3. *cap.* ſapienter volens exprimere conditiones Regales, in *Proverbiorum* ſuorum, *lib.* c. 25. ſic dicit: *Gloria Regum eſt inveſtigare ſermonem:* Ubi deſcribit perſonas Regia dignitate fulgentes, quantum ad ſtatum, & quantum ad actum. Significat ergo, primo ſtatum regalem eſſe ſtatum celſitudinis, & honorabilis reverentiæ, in hoc, quod dicit, *Gloria Regum.* Iſtum honorem nec auferre, nec diminuere volebat primus Chriſti Vicarius, Beatus Petrus Apoſtolus, qui in prima ſua Canonica 2. cap. cum ad timorem Dei ſuos ſubditos monitorie induxiſſet, dicens, *Deum timete*; ſtatim, ſine alterius nominis quomodocumque dominium ſignificantis interpoſitione, ſed immediate, ſubjunxit, *Regem honorificate.* Secundo notificat Regalem actum debere eſſe actum ſollicitudinis, & rationabilis diligentiæ, in hoc, quod ſequitur, *Inveſtigare ſermonem.* Debent ſiquidem Reges non vacare deliciis, ludis, & otioſitatibus: quia per hoc legimus aliquos Reges debito ſibi honore privatos. Quid enim Regnum Aſſyriorum ad Medos tranſtulit, niſi effœminati Regis mollities, & delicacitas Sardanapali. Iſte ſiquidem, ſicut referunt antiquæ hiſtoriæ, cum ab Arbacto Medorum Præpoſito fuiſſet in laſciviis, inter mulieres inventus, Medis extunc ſibi rebellantibus, nedum Dominium Medorum amiſit, ſed inde in deſperationem lapſus, accenſa pyra ſe, ſuaſque divitias, in igne cremavit. Quod contigiſſe dicitur, circa annum ab initio mundi 1240. Sed ut exemplum magis de propinquo quæramus, Childericum Regem Francorum ſimili de cauſa legimus per Barones Regni depoſitum, Monaſterio retruſum, & monaſtico tegmine palliatum: tandemque Pipinum, patrem Caroli Magni, in Regni regimine ſubſtitutum: quod fuit circa annum Domini 750. Relicta ergo ocioſitate, quæ, Sacra Scriptura docente, mala multa docuit, debent Reges habere ſollicitudinem, & diligen-

tiam: quod notatur in expressione investigationis: propter quod *Ecclesiastici* 51. dicitur, in persona boni Regis, *In juventute mea investigabam eam*, scilicet, sapientiam. Sed signanter subditur, *Sermonem*. Nam est sermo aliquis præsumptuosæ elationis, sicut fuit sermo illius, qui dicebat Job 32. *Plenus sum enim sermonibus*, & *coartat me spiritus uteri mei*. Et iste sermo est repellendus. Unde & *Job* 38. dicitur, *Quis est iste involvens, qui involvit sententias sermonibus imperitis?* Est etiam sermo virtuosæ ædificationis, scilicet ille, de quo dicitur *Ecclesiastici* 5. *Honor & gloria in sermone sensati*. Et talis sermo est retinendus, præsertim ab his, qui sunt in regimine constituti. Unde dicitur *Sapientiæ* 6. *Ad vos Reges sunt hi sermones mei, ut discatis sapientiam*. Est tertio sermo scrupulosæ dubitationis, sicut fuit ille sermo, qui exiit inter Fratres, id est, Apostolos Christi, quod Discipulus ille, scilicet, Joannes Euangelista non moritur, *Johannis* 21. Et talis sermo est diligenter investigandus, ut diligenti investigatione Philosophi, præhabita veritas, planius elucescat. Sicut fecit sapientissimus Ecclesiastes, qui *investigans composuit parabolas multas, quæsivit verba utilia, & conscripsit sermones rectissimos, ac veritate plenos*, sicut dicitur *Ecclesiastis* ultimo.

QUoniam ergo nihil tam indubitatum est, quod non recipiat aliquam sollicitam dubitationem, in *Authentic. de Tabellionib.* in med. *collat.* 2. & veritas, sæpius exagitata, magis splendescit in lucem. 35. q. 9. *grave vero.* ad majorem veritatis patefactionem, quæritur, Utrum Papa sit dominus omnium, tam in spiritualibus, quam in temporalibus: ita, quod habeat utramque jurisdictionem, spiritualem, & temporalem?

I. Et arguitur, quod sic. *Matthæi* 28. dicit Christus de seipso, *Data est mihi omnis Potestas in cœlo, & in terra*. Sed Papa est Vicarius Christi, & habet Christi Potestatem & auctoritatem, sicut habetur *Extr. de translation. Episcop. inter corporalia*. Ergo in ipso est omnis Potestas, tam cælestis, quam terrena.

II. Item sicut dicitur *Genes.* in primo, *In firmamento cœli*, per quod significatur Ecclesia, *Fecit Deus duo luminaria magna*, scilicet, Solem, per quem significatur auctoritas Pontificalis, & Lunam, per quam intelligitur Potestas Regalis. Sed Luna in firmamento nihil luminis habet, nisi quod recipit à Sole: Ergo Potestas Regalis nullam jurisdictionem habet, quam non recipiat à Summo Pontifice:

tifice: Ergo Summus Pontifex habet jurisdictionem omnium, etiam temporalem. Et habetur ista ratio in Decretis *Extr. de major. & obed. solitæ.*

III. Item nullus potest aliquem deponere à Dominio temporali, nisi sit ejus Dominus temporalis. Sed Zacharias Papa deposuit Regem Francorum Childericum, sicut habetur. 15. *q.* 1. *alius.* Et Innoc. IV. deposuit Imperatorem Fridericum: Ergo Papa habet temporale dominium super Regem Franciæ, & Imperatorem. Et si super istos, ergo & super omnes alios: cum isti sint majores in temporalibus, omnibus Christianis.

IV. Item *De consecration. dist.* 96. *cap. duo sunt.* dicit Gelasius Papa Anastasio Imperatori, *Duo sunt, quibus mundus hic regitur: auctoritas sacra Pontificum, & Regalis Potestas.* Et post pauca, *Nosti itaque inter hæc ex illorum te pendere judicio.* Ergo Imperator subest judicio Papæ. Et si Imperator, ergo multo fortius alii Christiani.

V. Item Ecclesiastica Hierarchia exemplata est ad similitudinem Hierarchiæ cœlestis, secundum Beatum Dionysium, *in libro de cœlest. Hierarch.* Sed in cœlesti Hierarchia, quæ est Spirituum Beatorum, id est, Angelorum, ita est, quod habet omnis unum superiorem, qui præest omnibus, & omni modo, scilicet, illuminando, purgando, & perficiendo, ut habetur ibidem: Ergo similiter, in Ecclesiastica Hierarchia est unus superior, qui præest omnibus, omnimodo. Sed nullus talis est, nisi Papa: quia nullus præest omnibus in spiritualibus, nisi Papa.

VI. Item Jeremias fuit unus de Sacerdotibus, qui fuerunt in Anathot, in terra Benjamin, sicut habetur *Jeremiæ* primo: & tamen iste constitutus est à Deo superior Gentibus & Regnis: unde dixit ei Dominus in eodem capitulo, *Ecce constitui te hodie super Gentes, & super Regna:* Ergo est de ordinatione divina, quod aliquis de Sacerdotibus habeat superioritatem super Gentes & Regna: Sed non nisi Papa, qui est Summus Sacerdos: Ergo Papa est superior omnibus, etiam quantum ad temporalia: cum Regna temporalia sint sub spiritualibus. Et trahitur hæc ratio ex Decretis, *Extr. de majo. & obedient. cap. solitæ.*

VII. Item *Deuteronom.* 17. dicitur, *Qui autem superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto judicis morietur.* Ex hoc habetur, quod omnes tenentur obedire in omnibus, sicut superiori, illi, qui est Sacerdos & Judex omnium.

omnium. Sed talis est Papa, Vicarius Christi, qui est *Judex vivorum & mortuorum*, sicut dicitur *Act.* 10. Ergo Papa superior est omnibus, etiam in temporalibus. Et hanc rationem tangere videtur Innocent. Papa, *Extr. Qui filii sunt legit. per venerabilem.*

VIII. Item 22. *Dist. in capitul. omnes*, dicitur, *Ecclesiam solus ipse fundavit*, scilicet, Christus, *& super petram fidei mox nascentis erexit, qui Beato Petro, Ecclesiæ viceclavigero, terreni simul & cœlestis Imperii jura commisit.* Sed cœleste Imperium est spirituale, & terrenum est temporale: Ergo Christus Petro, & ejus Successoribus, in ipso, dedit Imperium, non solum spirituale, sed etiam temporale. Ex isto forte Capitulo moti sunt his diebus aliqui, ad dicendum, quod quicumque teneret contrarium, deberet hæreticus reputari, propter aliqua verba, quæ sunt ibi: & sunt ista, *Non dubium est, quia si quis cuilibet Ecclesiæ Jus suum detrahit, injustitiam facit: qui autem Romanæ Ecclesiæ privilegium, ab ipso summo omnium Ecclesiarum Capite traditum, auferre conatur, hic procul dubio in hæresim labitur: & cum ille injustus vocetur, hic dicendus est hæreticus.*

IX. Item Dionysius in libr. *de Divin. nominib.* dicit, *Quæ sunt causatorum, insunt causis:* Sed Potestas spiritualis causa est temporalis: Ergo Potestas temporalis omnium habet esse penes illum, in quo est Potestas spiritualis omnium, scilicet, penes Papam. Probatio Minoris, videlicet, quod Potestas spiritualis causa sit temporalis: Sicut se habet anima ad corpus, sic spiritualia, quibus sustentatur corpus: Sed anima est causa corporis: Ergo & spiritualia causa sunt temporalium: Ergo Potestas spiritualis causa est temporalis.

X. Item Augustinus secundo *de Civitate Dei. cap.* 21. dicit sic, *Sine justitia non potest regi Respublica.* Vera autem Justitia non est in Republica, cujus Christus non est rector. Sed Respublica populi Christiani debet esse recta & vera. Ergo Christus in ea debet esse rector. Sed Papa est Christi Vicarius, *Extr. de translation. inter corporalia.* Ergo Papa rector est Reibublicæ, etiam in temporalibus.

XI. Item Apost. *in prima Corinth.* 2. *Spiritualis judicat omnia.* Sed Papa spiritualis est, & dominus in spiritualibus: Ergo habet judicare omnia, & de omnibus, etiam temporalibus.

XII. Item. Qui potest, quod est majus, potest etiam, quod est minus. 12. *q.* 2. *præcipimus. Extr. de donationib. inter vir. & uxor. per nostras.* Sed major est Potestas spiritualis, quam temporalis: Ergo Papa, qui est super omnes, & habet Potestatem spiritualem super omnes,

omnes, etiam habet temporalem Poteſtatem. Probatio Minoris. 96. *Diſt. duo quippe ſunt*, dicitur, *Non tam precioſius eſt aurum plumbo, quam Regia Poteſtate Ordo Sacerdotalis altior.*

XIII. Item: una eſt Eccleſia, ſecundum illud *Canticorum 6. Una eſt Columba mea, perfecta mea.* Et una ſponſa debet habere unum ſponſum, & unicum Dominum: Ergo Eccleſia debet habere unum ſponſi Vicarium, qui etiam ſit Dominus omnium.

XIV. Item: non confirmatur quis, niſi à ſuperiori, *Extr. De electon. nihil eſt.* Sed Imperator confirmatur per Papam in Juriſdictione Imperiali, quæ eſt temporalis, ſicut expreſſe patet *Extr. De election. venerabilem:* Ergo Papa ſuperior eſt Imperatore: & etiam in temporalibus. Et conſequenter quolibet alio Chriſtiano.

XV. Item: *Matth.* 16. Dominus conſtituens Petrum ſuum Vicarium dixit ei, *Et tibi dabo claves Regni cœlorum:* Per claves intelligens Juriſdictiones. Ergo Papa, Succeſſor Petri, & Vicarius Chriſti, habet duas Juriſdictiones, ſcilicet, ſpiritualem & temporalem.

XVI. Item: nullus poteſt legitimare aliquem ad honores & dignitates temporales, niſi habeat ſuper ipſum dominium temporale. Sed Papa poteſt omnes legitimare, & quantum ad honores temporales, ſicut patet, *Extr. Qui filii ſunt legit.* Ergo Papa ſuper omnes habet Dominium temporale.

XVII. Item: Bernard. *lib.* 4. *de Conſideration. ad Eugen. Pap. cap.* 3. ſic dicit, *Quid denuo uſurpare gladium tentas, quem ſemel juſſus es reponere in vaginam? Quem tamen, qui tuum negat, non ſatis mihi videtur attendere verbum Domini, dicentis ſic, Converte gladium tuum in vaginam. Tuus ergo & ipſe, forſitan tuo nutu, etſi non tua manu, evaginandus. Alioquin ſi nullomodo ad te pertineret is, dicentibus Apoſtolis, Ecce gladii duo hic, non reſpondiſſet Dominus, Satis eſt, ſed nimis eſt. Uterque ergo Eccleſiæ, & ſpiritualis gladius, & materialis. Sed hic quidem pro Eccleſia, ille vero & ab Eccleſia extrahendus, ille Sacerdotis, hic militis manu, ſed ſane ad nutum, & juſſum Imperatoris.* Huc uſque verba Bernardi; in quibus gladium accipit pro Juriſdictione: Ergo utraque juriſdictio, ſcilicet, ſpiritualis, & temporalis, pertinet ad Papam.

IN OPPOSITUM ARGUITUR.

AD Partem contrariam, videlicet, quod Papa non ſit Dominus omnium temporalis, & quod non habeat temporalem juriſdictionem ſuper omnes, arguitur primo ſic.

I. Si aliquis eſt Dominus temporalis, ad ipſum pertinet judicare de hæreditatibus, & poſſeſſionibus: Ergo à deſtructione conſequentis, ille, qui non habet ubique, ſed in certo loco, judicare de hæreditatibus, & poſſeſſionibus temporalibus, non eſt ubique Dominus temporalis: Sed Papa non habet ubique judicare de hæreditatibus, & poſſeſſionibus temporalibus. Ergo Papa non eſt omnium Dominus temporalis. Quod autem Papa non habeat ubique judicare de hæreditatibus, & poſſeſſionibus, probatur per Decretum, *Extr. Qui fil. ſunt legit. cauſam:* ubi Alexander Papa tertius dicit ſic, *Nos attendentes, quod ad Regem pertinet, non Eccleſiam, de talibus poſſeſſionibus judicare, ne videamur Juri Regis Anglorum detrahere, &c.* Hoc idem probatur per Decretum *in eod. titul. lator.*

II. Item: ad Dominum temporalem pertinet judicare de Feudis, ubi eſt Dominus temporalis: Sed ad Papam non pertinet ubique judicare de Feudis: quia in Regno Franciæ non habet hoc facere: Ergo Papa non eſt ubique Dominus temporalis. Major probatur per Decretum *Extr. De for. competent. ex tranſmiſſa.* Ubi Innocentius Papa tertius mandavit cauſam Feudi terminari. Probatio Minoris habetur, *Extr. De judic. novit.* ubi Innocentius Papa tertius dicit, *Non enim intendimus judicare de Feudo, cujus ad ipſum,* id eſt, Regem Franciæ, *ſpectat judicium.*

III. Item: ad illum, qui eſt ſuper omnes Dominus in temporalibus, appellari poteſt de Jure, cum appellatur à Judice civili: Sed à civili, vel à ſæculari Judice non poteſt appellari ad Papam: Ergo Papa non eſt Dominus omnium in temporalibus. Major plana eſt, & etiam poteſt probari per ea, quæ habentur in Decretis *de appellation. dilecti filii. Prior.* Probatio Minoris per Decretum, *Extr. de appellat. ſi duobus,* Ubi Alexander Papa tertius dicit ſic, *Quod quæris, ſi à civili Judice ante judicium, vel poſt, ad noſtram audientiam fuerit appellatum, an hujuſmodi appellatio teneat: tenet quidem in iis, qui ſunt noſtræ temporali Juriſdictioni ſubjecti: in aliis vero, etſi de conſuetudine Eccleſiæ teneat, ſecundum Juris rigorem credimus non tenere.*

IV. Item:

IV. Item: per Decretum, *Extr. De for. compet. licet*, Ubi Innocentius Papa tertius dicit sic, *Si quando à Laicis Vercellensibus literas super rebus præcipue, quæ forum seculare contingunt, à Sede Apostolica contigerit impetrari, sublato appellationis obstaculo, decernas irritas, & inanes.*

V. Item: Vassallus non recognoscens se Feudum tenere à Domino, ipso Jure ipsum Feudum amittit: hoc est enim notum per Leges, probatum in *Summa*, quæ dicitur *Copiosa*, *titul. de feud.* & servatur de consuetudine. Etiam factum est in promptu. Habemus in facto Franciæ. Nunquam recognovit, nec adhuc recognoscit, se Feudum, vel temporale aliquid, tenere à Papa, sicut expresse dicit Innocentius tertius, *Extr. Qui fil. sunt legit. per venerabilem.* Ergo si Papa esset vere ejus Dominus temporalis, jam ab illo tempore Regno suo fuisset privatus. Contrarium videmus, & semper sic erit per Dei gratiam. Ergo Papa non habet, saltem in Regno Franciæ, temporalem Jurisdictionem.

VI. Item: per Dominum Feudi debet investiri quicunque tenet Feudum ab alio, & ratione Feudi debet Domino aliquam redebentiam, sicut patet in libro *Feudor.* & *Extr. De feud. ex parte.* Sed multi sunt Reges & Domini temporales, qui nec in personis suis, nec prædecessorum suorum, unquam in Regnis suis receperunt aliquam investituram à Papa, nec de terris suis unquam sibi fecerunt aliquam redebentiam temporalem, licet exhibuerunt ei, sicut Spirituali Patri, reverentiam, sicut Rex Franciæ, Castellæ, aliqui alii: Ergo, saltem quo ad illos, & eorum Regna, non est Dominus temporalis.

VII. Item: dicit Apostol. 2 *Tim.* 2. *Nemo, militans Deo, implicat se negotiis secularibus.* Sed nemo in Ecclesia Dei magis militare debet Deo, quam Papa: Ergo nemo minus implicare se debet negotiis secularibus, quam Papa: Sed jurisdictio temporalis, & præcipuè omnium, summe est implicativa in negotiis secularibus: Ergo Papa non habet super omnes Jurisdictionem temporalem. Si respondetur, quod Papa non habeat Jurisdictionem temporalem super omnes, quantum ad executionem, quia hoc esset se implicare negotiis secularibus: sed bene habet Jurisdictionem temporalem super omnes, quantum ad Imperium ipsius super Principes seculares; & sic respondentes multi innituntur auctoritati Beati Bernardi, *lib.* 4. *de Considerat. ad Eugen. Papam*, quæ allegata supra, ad contrarium in 17. Argumento, ad quam auctoritatem respondebitur loco suo:

Tamen contra istam responsionem, sicut dicitur *Deut.* 32. *Dei perfecta sunt opera*, & omne quod à Domino ordinatum est. Sed perfectius & ordinatius est, quod ille habeat Potestatem & Jurisdictionem, qui eam potest licite demandare executioni, cum militet seculo, non Papa, qui debet militare Deo: Et videtur quod Papa à Deo accepit nullomodo temporalem Jurisdictionem super omnes.

VIII. Item: dignitas Christiana maxima regnare debet in Capite Christianitatis, videlicet, in Papa. Sed habere Dominium in temporalibus est contrarium dignitati Christianæ, præcipuè quantum ad personas Ecclesiasticas: Ergo Papa non habet Dominium omnium temporale. Probatio Minoris est per auctoritatem Bedæ, qui in *Glos. Jacobi primo* dicit sic, *Non est Christianæ dignitatis in temporalibus exaltari, sed potius deprimi.*

IX. Item: nomina debent esse consona & convenientia rebus, sicut notatum est, *Extr. De præbend. cum secundum Apostolum.* Sed Papa non nominatur ab Imperio temporali, sed à spirituali dignitate: Papa enim dicitur, quasi Pater Patrum, nec cognominatur à temporali Dominio, sed ab humili servitute. Vocat enim Papa se, Servum servorum Dei, secundum institutionem Sanctissimi Patris, Beati Gregorii Magni: Ergo realiter in Papa non est Dominium temporale super omnes, sed dignitas, & paternitas spiritualis.

X. Item: sicut Papa est Judex ordinarius totius Ecclesiæ, ita quilibet Episcopus est ordinarius Diœcesis suæ, *Extr. De offic. judic. ordin. cum ab Ecclesiarum.* Si ergo Papa haberet Jurisdictionem temporalem super omnes personas de Ecclesia, quilibet Episcopus haberet Jurisdictionem temporalem super omnes de Diœcesi sua: Sed hoc est falsum: Ergo & primum. Probatio Minoris, scilicet, quod non quilibet Episcopus habet Jurisdictionem temporalem in sua Diœcesi: Videmus enim multos Episcopos, qui in suis Diœcesibus habent Reges, & Principes, qui Jurisdictionem temporalem super eosdem Reges & Principes non habent: Sed è contrario eos recognoscunt, sicut etiam verè sunt, suos Dominos temporales: & hoc est, & fuit in Regno Franciæ, à tempore, ex quo non extat aliqua memoria, observatum.

XI. Item: nihil voluit Christus Petro Vicario suo, vel cuicunque Successori ejus committere, cujus contrarium voluit in se ipse docere. Imitatores enim esse Christi voluit omnes Apostolos, juxta illud Pauli *Corinth.* 2. *Estote imitatores mei, sicut & ego Christi.* Sed Christus

ſtus oſtendit, & de facto docuit, ſe non velle habere Dominium, vel Jurisdictionem temporalem: dicitur enim in Euangelio *Johannis ſexto*, quod cum cognoviſſet Jeſus, quod illi homines qui viderant ſignum, quod fecerat de multiplicatione panum, venturi eſſent, ut raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem. Ergo Chriſtus, nec Petro, nec cuicunque Succeſſori ejus, commiſit Dominium temporale, vel Jurisdictionem temporalem, nec oſtendit, quod deberent velle habere eam generaliter ſuper omnes.

XII. Item: plus Dominationis non habet Papa, ratione qua Papa, quam habuit Petrus, poſtquam ſuper ipſum fundata eſt Eccleſia à Chriſto, & ſibi ſunt traditæ claves Regni Cœlorum. Sed Petrus poſt omnia iſta non habuit Dominium rerum temporalium ſuper omnes: Ergo nec Papa, in quantum Papa, & Succeſſor Petri, habet ſuper omnes Dominium temporale. Quod autem Petrus, poſtquam traditæ ſunt ei claves Regni Cœlorum, non habuit temporale Dominium, patet per hoc, quod *Actor.* 3. dicitur, quod illi claudo ex utero matris ſuæ, qui intendebat in Petrum & Johannem, ſperans ſe aliquid accepturum ab eis, dicit Petrus, *Argentum, & aurum, non eſt mihi: quod autem habeo, hoc tibi do.* Certum eſt enim, quod illi nihil temporale dedit: & tamen dedit, quod habuit.

XIII. Item: ſolvere tributum nunquam pertinet ad ſuperiorem Dominum temporalem: imo magis tributum debet ſibi ſolvi, ſecundum ſententiam Salvatoris, *Matth.* 22. Ubi petentibus ab eo, Si liceret dari cenſum Cæſari, aut non? Petivit ab eis, cujus eſſet imago, quæ erat in numiſmate cenſus: & audito ab eis, quod eſſet Cæſaris, reſpondit, *Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo.* Sed Chriſtus pro ſe, & pro Petro, voluit ſolvere tributum. Ergo voluit oſtendere, nec ſe, nec Petrum, velle habere in temporalibus ſuperius Dominium. Quod autem Chriſtus, pro ſe, & pro Petro, ſolveret tributum, patet *Matth.* 17. Ubi dixit ad Petrum, *Vade ad mare, & mitte hamum, & eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle, & aperto ore ejus invenies ſtaterem: illum ſumens, da eis, pro te, & me.*

XIV. Item: Dominium, & miniſterium, ex oppoſito ſe habent, ita, quod nec Domino debet imponi miniſterium, nec miniſter ſibi debet uſurpare Dominium: ſed ex ordinatione Chriſti, qui major eſt in Eccleſia debet exercere temporale miniſterium, ut probabo: Ergo qui major eſt in Eccleſia non debet uſurpare, vel ſibi vendicare, tem-

porale Dominium. Quod autem major in Ecclesia debet exercere temporaliter humile ministerium, probatur per illud *Luc.* 22. Ubi cum fuisset contentio inter discipulos de majoritate, dicitur sic: *Qui major est in vobis, fiat sicut minor, & qui præcessor est, sicut ministrator:* Et paucis interpositis sequitur, *Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat.*

XV. Item: Judicare est actus pertinens ad Jurisdictionem: Unde qui non potest aliquem Judicare, non videtur in ipso aliquam Jurisdictionem habere. Ex quo sic arguitur: Nihil à Christo commissum est Papæ super mundum, nisi illud, super quod venit in mundum: Sed Christus non venit in mundum, ut judicet mundum, quod pertinet ad Jurisdictionem temporalem, sed ut salvetur mundus per ipsum, quod pertinet ad Jurisdictionem spiritualem, sicut habetur *Johannis* 3. Ubi sic dicitur, *Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* Ergo à Christo nihil commissum est Papæ super mundum, quantum ad Jurisdictionem temporalem.

XVI. Item: illud nunquam sibi debet vendicare Vicarius, quod planè, & plene, ad se non pertinere voluit, & expressit ejus Dominus, cujus vices gerit: secundum quod dicitur *Matthæi* 10. *Non est discipulus super Magistrum, nec servus super dominum suum. Sufficit discipulo, ut sit, sicut Magister suus.* Salvator, noster Magister, & Dominus voluit, & expressit, se non habere Regnum, quod est mundanum, & temporale, sicut patet *Johannis* 1. ubi dicit, *Regnum meum non est de hoc mundo.* Ergo nec quicunque Papa vendicare sibi debet, ex Christi Vicariatu, quod habeat temporale Regnum. Et per consequens, quod habeat super omnes Dominium temporale.

DECISIO QUÆSTIONIS.

Circa quæstionem istam multi multa, & diversi diversa senserunt. Quidam enim dixerunt, Dominum Papam esse Dominum omnium, non solum in spiritualibus, sed etiam in temporalibus. Et istius opinionis multum adhæsive fuit Dominus Host. qui fecit Summam Juris, quæ dicitur *Summa copiosa.* Specialius tamen hoc probat in *Apparatu* suo super Decret. *Extr. Qui fil. sunt legit. per venerabilem.* super §. *rationibus:* ubi multas rationes adducit ad hoc, quarum melio-

meliores, & efficaciores adductæ ſunt ſuperius, in opponendo ad partem iſtam. Et hoc dico propter hoc, quod inter rationes, quas ibi ponit, inveniuntur aliquæ multum frivolæ: ſicut illa, quæ proponit, quod Chriſtus, non ſolum fuit præter naturam conceptus, ſed natus, quæ in nullo eſt ad propoſitum. Alanus, & Tancr. dixerunt, quod quamvis à ſolo Deo eſſe dicatur, executionem tamen gladii temporalis accipit ab Eccleſia: quare etiam & Papa utroque gladio uti poteſt. Nam & Dominus utroque gladio uſus eſt, & Moyſes. Sed iſtorum opinio non multum accedit ad propoſitam quæſtionem. Eſto enim quod Imperator ſubſit Papæ, quantum ad executionem gladii, vel Juriſdictionis temporalis, cum coronam Imperii accipiat ab ipſo, ſunt tamen alii Domini temporales, qui nec ſubſunt Imperio, nec coronam recipiunt à Papa. Unde non videtur illa opinio tales tangere: & per conſequens, nec concludere, quod Papa ſit Dominus omnium temporalis, nec poteſtative, nec executive. Bernardus Parmenſis, Apparator Decretalium, quamvis cum Alano, & Tancr. videatur ſentire, *Extr. Qui fil. ſunt legit. c. cauſam quæ.* tamen alibi videtur, *Extr. de appellat. c. ſi duobus.* dicere, quod Juriſdictio temporalis non pertinet ad Eccleſiam, in præjudicium Judicis ſecularis, exceptis tamen aliquibus caſibus, quos ipſe notat, *Extr. De for. compet. c. licet.* Et cum iſto, quantum ad iſtud ultimum, magis ſentiendum eſſe credo. Quantum autem de quæſtione propoſita, utrum Papa ſit Dominus temporalis, ita quod ſuper omnes habeat Juriſdictionem, non ſolum ſpiritualem, ſed etiam temporalem, dico quod non. Ad hujus intelligentiam notandum, quod ſicut dicitur Proverbior. 16. *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus*, ſicut etiam omnia, quæ in mundo ſunt, voluit propter hominem operari. Et inde eſt quòd, ſicut voluit formare hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, ſic etiam voluit, quod in homine inveniretur una ſimilitudo, quæ totius mundi eſſet repræſentativa. Unde etiam hinc Græce Microcoſmus dicitur, quod interpretativum eſt, minor mundus, ſecundum quod dicunt Iſidorus, & Papias. Microcoſmus autem iſte ſic mundi majoris ſimilitudinem repræſentat, quod, ſicut in mundo invenitur duplex natura, videlicet, ſpiritualis, ut Angelica; corporalis, ut terrena; ſic in homine, ad ipſius conſtitutionem, conveniunt natura ſpiritualis, ſcilicet, anima, & natura corporalis, ſcilicet, corpus, & ejus membra. Quantum ergo ad animam hominis, ſicut in ipſa repræſentatur natura

natura ſpiritualis, & Angelica, quòd ſicut in Angelis invenitur triplex Hierarchia, ſic in homine, quantùm ad animam, eſt triplex potentia, quæ ſunt memoria, intelligentia, & voluntas, ſecundum quas eſt imago Dei in homine, quæ in nulla creatura alia, ſolis exceptis Angelis, invenitur. Quantùm autem ad corpus ipſius, repræſentatur natura corporalis, & terrena, ſub qua cuncti homines, quandiu ſunt peregrinantes in mortali corpore, quod aggravat animam, continentur. Et hoc videtur Apoſtolus monere ad Romanos 12. *Multi enim unum corpus ſumus in Chriſto.* In corpore autem humano ſic eſt, quòd, cum in eo ſint partes plurimæ, & membra multa, ſunt tamen duo membra principalia, videlicet, cor, & caput, quorum ſunt varia officia, & diſtincta; & ſicut in corpore humano, cordis, & capitis, ſunt diſtinctæ operationes, ſic in regimine mundano diſtinctæ ſunt juriſdictiones, videlicet, ſpiritualis, quæ repræſentatur in capite, & temporalis, quæ repræſentatur in corde; & ſicut in humano corpore carentia capitis, vel cordis, eſſet cauſa diſſolutionis, & mortis: ſic ceſſatio alterutrius iſtarum juriſdictionum eſſet cauſa deſtructionis Eccleſiæ per univerſum mundum. Proprietas autem capitis appropriatur habenti juriſdictionem ſpiritualem; quia ſicut in capite vigent ſenſus, quibus cætera membra reguntur, & à capite derivantur nervi, quibus ipſorum membrorum compagines ad invicem connectuntur, ſecundùm quod docet Iſidorus in lib. Etymolog. 11. c. 1. ſic in Papa, qui omnibus præeſſe noſcitur Spiritualiter, vigere debet diſcretio, & ſapientia, qua Chriſti Fideles, qui ſunt membra Eccleſiæ, dirigantur ad opera ſalutis. Unde ad ipſum, ſicut ad caput, ſpectat omnibus Fidelibus dare ſenſum diſcretionis, & per gratioſam conditionem, & ſuam doctrinam, ſecundum illud Gregorii, in *Regiſtr.* & habetur *Diſt.* 43. *Sit rector diſcretus in ſilentio, utilis in verbo, ne aut tacenda proferat, aut proferenda reticeſcat.* Spectat etiam ad ipſum dare Fidelibus motum bonæ operationis, per virtuoſam operationem, & bonam vitam, ſeipſum præbendo bonum exemplum Fidelibus, ſicut docebat Apoſtolus, *Ad Titum.* Nervi autem, ab ipſo capite derivati, ſunt diverſi gradus, & Ordines Eccleſiaſtici, quibus, ſecundum eorum diverſa, & diſtincta officia, membra Eccleſiæ ſuo vero capiti ſc. Chriſto, & ſibi invicem, quaſi quibuſdam connexivis compagibus, colligantur. Unde in unitate Fidei faciunt unum corpus. Cordis autem proprietas adaptatur rationabiliter illi, qui juriſdictionem temporalem exercet, & eſt Dominus

nus temporalis. Dicit enim Iſidorus, quod cor eſt totius corporis fundamentum. Et Ariſt. *in lib.* 12. *de Animalibus* dicit, quod in corde eſt principium venarum, deferentium ad membra ſanguinem, ſine quo non eſt vita. Item dicit *lib.* 16. quod in generatione corporis animalis primo creatur cor, etiam antequam caput. Dominus autem temporalis, ſicut Rex in Regno, & Imperator in Imperio, rectè dicitur fundamentum, propter ſoliditatem, & firmitatem juſtitiæ, quæ in ipſo debet eſſe, ſine qua Reſpublica nullomodo poteſt eſſe ſtabilis, ſicut nec ædificium ſine fundamento. Et in ſignum hujus, videlicet, quod Dominus ſuperior in temporalibus, ſit quaſi fundamentum Reipublicæ, legimus, & refert Iſidorus *lib.* 9. *cap.* 3. quod Reges apud Græcos, ob hanc cauſam, Baſilei vocantur: quia tanquam Baſes populum ſuſtentabant. In ſignum etiam hujus, dicimus Dominos temporales, Fundatores Eccleſiarum; quod non dicitur de Prælatis, niſi in quantum habentes ſunt alioquod Dominium temporale. Ab iſto vero corde, id eſt, à ſeculari Principe; procedunt, tanquam à principio, venæ, id eſt, leges, ſtatuta, & conſuetudines legitimæ, per quas, quaſi per quaſdam venas, dividitur, & defertur ad partes ſingulas totius corporis, hoc eſt, Communitatis, & Reipublicæ, ſubſtantia temporalis, ſicut in humano corpore ſanguis. Sicut enim ſine corde non eſt in corpore vita, ſic nec ſine ſubſtantia temporali poſſet ſubſiſtere vita. Quomodo autem iſta temporalis ſubſtantia habeat dividi, pertinet ad Reges, & Principes, exercentes Juſtitiam. Secundum quod habetur à Beato Hieronymo *ſuper Jeremiam* & eſt. 23. *q.* 5. *Regum.* Ibi dicitur, *quod Regum eſt proprium facere juſtitiam, & liberare de manu calumniantium vi oppreſſos.* Idem habetur à beato Auguſtino. 23. q. 7. *quicunque.* Cor etiam poteſt dici Dominus ſecularis, ut Rex, reſpectu Domini ſpiritualis: quia ſicut cor prius creatur, quam caput, ſic prius fuit Juriſdictio temporalis in Regibus, quam fuerit Juriſdictio ſpiritualis in Sacerdotibus, vel Pontificibus: ſicut patet per Auguſtinum *de Civitate Dei*, lib. 18. cap. 2. ubi refert de antiquiſſimis Regnorum initiis. Patet ergo ex prædictis, quod ſicut in humano corpore ſunt duæ partes principales, officia diſtincta, & diverſa habentes, ſc. caput, & cor, ita quod una de officio alterius ſe non intromittit: ſic in orbe duæ ſunt juriſdictiones diſtinctæ, ſcilicet, ſpiritualis, & temporalis, habentes officia diſtincta. Unde, ſicut non eſt aliquis Dominus temporalis, qui ſe debeat reputare Dominum omnium in temporalibus, & ſpiritualibus, ſic nec eſt aliquis Dominus ſpiritualis, qui debeat ſe reputare Dominum in tempora-

libus, & spiritualibus. Sed Dominus secularis erit in temporalibus, & Dominus spiritualis in spiritualibus. Papa ergo non est Dominus temporalis omnium. Et hoc potest probari ex tribus: Primo ex ordinatione populi Israëlitici: 2. ex humili responsione Christi: 3. ex sublimi perfectione status Apostolici. Primo ergo videamus distinctionem Jurisdictionis spiritualis, & temporalis in Ecclesia, ex ordinatione populi Israëlitici. Ordinavit enim Dominus populum Israëliticum, ut regeretur, primo per Duces, & Sacerdotes. Unde & Moyses, qui primo rexit populum ejus, fuit Dux populi. Sibi enim, & non alii, dixit Dominus, Exod. 32. *Vade, & duc populum istum, quo locutus sum tibi.* Aaron vero frater ejus fuit Sacerdos primus, & Pontifex primus. Unde dictum fuit Moysi, Exod. 28. *Applica ad te Aaron fratrem tuum, cum filiis suis, de medio filiorum Israël, ut Sacerdotio fungantur mihi.* Moyses ergo Dux fuit in populo Israël, & Aaron Sacerdos, quamvis etiam ipse Moyses Sacerdos fuisse legatur, secundum illud Psalmistæ, *Moyses, & Aaron, in Sacerdotibus ejus:* Et *Dist.* 22. *sacrosancta.* & Hieronymus super *Leviticum* dicit, *Si quis vult Pontifex esse, non tam vocabulo, quam merito, imitetur Moysem, imitetur Aaron.* Ratione ergo sacrificii, uterque habuit Jurisdictionem spiritualem; sed ipsum Sacerdotium magis proprie residebat penes Aaron, qui hostias offerebat Domino, quod non faciebat Moyses. Unde in Glos. super illud verbum, *Moyses, & Aaron, in Sacerdotibus*, dicitur sic, *Moyses Sacerdos, qui si non hostias, vota tamen populi obtulit, & pro populo supplicavit.* Jurisdictio autem temporalis totaliter fuit in Moyse, Et hoc apparet ex nomine officii sui. Dux enim, secundum Isidorum, est officium seculare. Iterum hoc apparet ex iis, qui successerunt sibi. Moysi enim in Ducatu populi successit Josue, deinde Judices, & postea Reges: de quibus certum est, quod habuerunt, & exercuerunt, Jurisdictionem temporalem. Idem etiam patet ex commissione facta ipsi Moysi. Dominus enim sibi commisit divisionem hæreditatum, & possessionum, inter filios Israël. Divisio autem hæreditatum, & possessionum, pertinet ad Jurisdictionem temporalem. Igitur. Primum patet, scilicet, quod Dominus commiserit Moysi divisionum hæreditatum, & possessionum. Dicitur enim, Numeri 36. *quod accesserunt Principes familiarum Galaad, locutique sunt Moysi, coram Principibus Israël, atque dixerunt, Tibi, domino nostro, præcepit Dominus, ut terram sorte divideres filiis Israël, & ut filiabus Zalphaat, fratris nostri, dares*

possessio-

possessionem debitam patri. Secundum, scilicet, quod divisio hæreditatum, & possessionum, pertineat ad Jurisdictionem temporalem, patet per Augustinum *super Joh. Jure humano hoc dicitur, Hæc villa mea est, & hic servus meus est. Jura autem humana Imperatorum sunt: quia ipsa Jura humana per Imperatores & Reges Deus distribuit humano generi. Et ex hoc sequitur, quod Apostolus voluit serviri Regibus, voluit honorari Reges, & dixit, Regem reveremini. Nolite ergo dicere, Quid mihi & Regi? Quid tibi ergo & possessioni? Per Jura Regum possidentur possessiones.* Usque huc verba Augustini: & habentur 8. *Dist. quo jure.* Ex quibus patet, quod divisio hæreditatum & possessionum pertinet ad Jurisdictionem temporalem, cujusmodi est Jurisdictio Imperatorum & Regum. Patet ergo, quod Moyses habebat super populum Dei Jurisdictionem temporalem. Unde, quantum ad hoc, Reges & Principes repræsentat. Nunquam autem legitur, quod Aaron de Ducatu, & Jurisdictione pertinente ad Moysem se intromisit, volens sibi ipsi Dominium attribuere, nisi ad mandatum ipsius Moysi. Imo à contrario, Aaron vocabat Moysem Dominum *Exod.* 32. cum Moyses reversus de monte, in quo locutus fuerat cum Domino, turbatus fuerat de vitulo conflatili, quem fecerat populus, dixit ei Aaron, *Ne indignetur Dominus meus. Tu enim nosti populum istum, quod pronus sit ad malum.* Cum autem Jurisdictio sive regimen in Scriptura Sacra intelligatur per virgam, juxta illud *Psalmi, Reges eos in virga ferrea,* hoc est, inflexibili justitia, secundum *Glos.* Jurisdictio ista duplex designata est in duplici virga, de qua legitur in Veteri Testamento. Legitur enim *Exod.* 4. quod Moyses tenuit virgam. Unde dicitur ibi, *Reversus est Moyses in Ægyptum, portans virgam Dei in manu sua.* Legitur etiam *Numeri* 17. quod Moyses invenit germinasse virgam Aaron. Per primam percussa est terra Ægypti plagis corporalibus. Unde ipsa designat Jurisdictionem temporalem. Secunda solum reposita est in Tabernaculo Testimonii, sicut legitur ibidem, & in Arca Testamenti, sicut habetur, *Ad Hebræos* 9. Et per hoc designat Jurisdictionem spiritualem, seu Sacerdotalem. Propter quod *Ad Hebræos* 9. super illud verbum, *Et virga Aaron quæ fronduerat,* dicit *Glos. Potestas Sacerdotalis.* Ex his colligi potest, quod Sacerdos quicunque Jurisdictionem habens in spiritualibus, sicut Aaron, nunquam super illum, qui habet Jurisdictionem temporalem etiam sicut Moyses, debet sibi vendicare dominium: & quod penes Ecclesiam, quæ vere est Arca Testamenti, non est reposita

ſita virga, hoc eſt Poteſtas aliqua, niſi ſolummodo virga Aaron, id eſt, Poteſtas ſpiritualis: Quantum eſt, dico, ex ordinatione primo divinitus facta. Et hoc intelligi debet accipiendo Eccleſiam, non in generali, prout dicimus, quod Eccleſia dicitur Congregatio fidelium, ſed ſecundum quod accipitur in ſpeciali, ſc. prout Eccleſia diſtinguitur contra ſeculum, & Clerici, & viri Eccleſiaſtici, contra Laicos, & ſeculares. Verumtamen, ſicut Aaron aliquando volente Domino uſus eſt virga Moyſi, id eſt, Juriſdictione temporali, ſicut in afflictione Ægyptiorum per plagas multiplices, ſemper tamen de expreſſa auctoritate Moyſi: Sic etiam qui nunc vocatus eſt ad Juriſdictionem ſpiritualem, ſicut Aaron, bene habet uſum alicujus Juriſdictionis temporalis, ſicut Papa, & Prælati aliqui alii, ſed nonniſi quantum ſibi datum & permiſſum ab illis, qui habent in hoc mundo temporalium Poteſtatem, videlicet, ab Imperatoribus, Regibus, & aliis Principibus: De quibus, quod Poteſtatem habeant in temporalibus, & ſuper Eccleſiam, probatur per Iſidorum 23. *q.* 5. *Principes.* Ubi dicit ſic, *Sæpe per Regnum terrenum, Cœleſte Regnum proficit, ut qui intra Eccleſiam poſiti, contra fidem, & diſciplinam Eccleſiæ agunt, rigore Principum terreantur, ipſamque diſciplinam, quam Eccleſiæ humilitas exercere non prævalet, cervicibus ſuperborum Poteſtas Principalis imponat, & ut venerationem mereatur, virtutem Poteſtatis impartiatur. Cognoſcant Principes ſeculi Deo ſe debere, rationem reddituros eſſe propter Eccleſiam, quam à Chriſto tuendam ſuſcipiunt. Nam ſive augeatur pax & diſciplina Eccleſiæ per fideles Principes, ſive ſolvatur, ille ab eis rationem exiget, qui eorum Poteſtati Eccleſiam tradidit.* Huc uſque verba Iſidori. Ex quibus habetur, quod Eccleſia, quantum ad temporalia, Poteſtati Regum & Principum eſt tradita & ſubjecta. Nec vacat à myſterio, quod cum ab illo Propheta, qui fuit de Sacerdotibus, qui erant in Anathot, videlicet, Jeremia, quæritur aliquando, quid videret; ipſe ſe non virgas, ſed virgam vigilantem videre reſpondit: per hoc, tam diſcrete, quam ſancte, ſignificans, quod quicunque Sacerdos Domini, hoc eſt, ſacre præſidens in domo Domini, non ad duas virgas, id eſt, ad duas Juriſdictiones ubique habendas, ſed ad virgam vigilantem, id eſt, ad Juriſdictionem ſpiritualem, debet reſpicere, in qua multum eſt neceſſarium eſſe vigilem & ſollicitum, ſecundum illud Apoſtoli 2 *ad Corinth.* 2. *Inſtantia noſtra quotidiana, ſollicitudo omnium Eccleſiarum.* Sed ad regimen populi Iſraëlitici pro tempore Regum, qui ſucceſſerunt

ferunt Judicibus, & Ducibus, & per consequens Moysi, descendamus. Certum est enim, quod tunc Reges in temporalibus præsidebant, Sacerdotes, & Prophetæ, spiritualia regebant. Nunquam pro illo tempore fuit Sacerdos, vel Propheta, qui tanquam dominium habens, præceperit aliquid Regi, licet bene legantur annunciasse Regibus præcepta Domini, sicut legitur de Saul, 1 *Regum* 13. 2. 15. Sed Reges, sicut veri Domini, præcipiebant Sacerdotibus, & Prophetis. Et ne dicatur, quod hoc fecerunt mali Reges, non exercentes Jurisdictionem, sed sævientes in tyrannidem, ostendi potest hoc de tribus melioribus, qui unquam tunc regnaverunt super populum Domini, videlicet, de David, Ezechia, & Josia. De David enim legitur 3 *Regum* 1. quod præcepit Sadoch Sacerdoti, & Nathan Prophetæ, & Banajæ filio Jojadæ, dicens, *Tollite vobiscum servos Domini vestri*, vocans se Dominum eorum, *& imponite Salomonem filium meum super mulam meam, & ducite in Sion, & ungite eum ibi, Sadoch Sacerdos, & Nathan Propheta, in Regem.* De Ezechia vero legitur, 4 *Regum* 19. quod *Ezechias ingressus est domum Domini, & misit Eliacim, Præpositum domus, & Sobnam, Scribam, & senes de Sacerdotibus, ad Isaiam Prophetam.* Et sequitur, *Dixitque eis Isaias: Hæc dicetis Domino vestro: Noli timere.* De Rege etiam Josia legitur 4 *Regum.* 22. *Cum audisset Rex verba libri Legis Domini, scidit vestimenta sua, & præcepit Elciæ Sacerdoti, & Ahicam filio Saphan, & Achobor filio Micha, & Saphan Scribæ, & Asaiæ servo Regis, dicens: Ite, & consulite Dominum.* Ecce isti tres Reges, super omnes, qui unquam rexerunt populum Domini, meliores, imperando, præcipiendo, & mittendo, se ostenderunt, sicut & vere erant, post Deum esse Dominos principales, super quos, nec Prophetæ, nec Sacerdos, unquam alias attentaverunt aliquid, quod esset eis in diminutionem sui Dominii temporalis. Hic posset fieri alia ratio, ex hoc, quod Prophetæ sua tempora, non sub Sacerdotibus, aut Pontificibus, sed sub Regibus, tanquam sub Dominis principalibus, descripserunt, ut patet *Isaiæ primo*, & sic de singulis Prophetis, & *Luc.* 1. & 3. Ex quibus omnibus elici potest, quod Papa, Pater spiritualis omnium Christianorum, non est Dominus omnium temporalis. Item hoc idem, videlicet, quod Papa non sit Dominus omnium temporalis, nec Jurisdictionem habeat temporalem super omnes, apparet ex humili responsione Christi. Legimus in *Luca* 12. *Cap.* quod quidam venit ad Jesum, & dixit, *Magister, dic fratri meo, ut divi-*

dividat hæreditatem mecum. At ille dixit ei: Homo, quis me constituit Judicem, aut divisorem, super vos? Ostendens per hoc, quod ad ipsum non spectabat Judicium, vel Jurisdictio, de divisione hæreditatis, vel hæreditate possessionis. Unde Ambrosius super illud verbum, *Bene terrena declinat, qui propter divina descenderat: nec Judex esse dignatur litium, & arbiter facultatum, vivorum habens, mortuorumque Judicium, meritorumque arbitrium.* Ex quibus potest argui sic: *Non est discipulus super Magistrum, nec servus super Dominum suum: & sufficit*, id est, sufficere debet, *discipulo, ut sit sicut Magister ejus:* sicut scribitur *Matth.* 10. Super quod verbum dicit Remigius, *Magistrum & Dominum semetipsum appellat: per servum & discipulum suos vult intelligi Apostolos.* Si ergo majoritatem judicandi in temporalibus, sicut de divisione hæreditatis, noluit in hoc mundo habere Christus, Magister & Dominus, etiam in unico casu particulari, certe nunquam majoritatem deberet appetere quicunque Christi servus, quicunque discipulus, quicunque Apostolus. Unde Dominus in *Lucæ* 12. *Cap.* postquam responderat, *Quis me constituit Judicem, ac divisorem, super vos?* sciens, quod velle Judicare, vel Jurisdictionem habere, in talibus, procedit ex radice avaritiæ, statim direxit verbum ad Apostolos, & dixit, *Videte & cavete ab omni avaritia: quia non in abundantia cujusquam vita ejus est, ex his quæ possidet.* Et ex istis verbis Domini moveri videtur Bernard. *lib.* 1. *De considerat. ad Eugen. cap.* 5. Ubi dicit sic, *Ubi aliquando quispiam Apostolorum Judex sederit hominum, aut divisor terminorum, aut distributor terrarum? Stetisse lego Apostolos judicandos, sedisse judicantes non lego. Erit illud, non fuit. Itane imminutor est dignitatis servus, si non vult esse major Domino suo: aut discipulus, si non vult esse major eo, qui se misit: aut filius, si non transgreditur terminos, quos posuerunt patres sui? Quis me constituit Judicem? ait ille, Magister, & Dominus: & erit injuria servo, discipuloque, si non judicet universos?* Et post pauca, *Quidni contemnant judicare de terrenis possessiunculis hominum, qui in cœlestibus & Angelos judicabunt? Ergo in criminibus, non in possessionibus, Potestas vestra: propter illa*, scilicet, crimina, *siquidem, non propter has, accepistis claves Regni Cœlorum, prævaricatores utique exclusuri, non possessores. Ut sciatis, ait, quia filius hominis habet Potestatem in terra dimittendi peccata, &c. Quænam tibi major videtur, & dignitas, & Potestas, dimittendi peccata, an prædia dividendi? Sed non est comparatio. Habent hæc infima & terrena judi-*

ces suos, Reges & Principes terræ. Quid fines alienos invaditis? Quid falcem vestram in alienam messem extenditis? Usque huc verba Bernardi. Sed quia posset hic aliquis dicere, quod intermissa sunt hic aliqua verba Bernardi, quibus patet ipsum sensisse contrarium: Ad hoc respondeo: Non sunt intermissa verba, nisi ista, *Mihi tamen non videtur bonus æstimator rerum, qui indignum putat Apostolis, seu Apostolicis viris, non Judicare de talibus, quibus datum est Judicium in majora.* In illis autem verbis non intendit dicere, quod Apostoli Judicare debeant de illis terrenis, quorum Judicium pertinet ad Reges & Principes: sed vult dicere, quod ex indignitate, & insufficientia, non procedit, quod de talibus non debeant Judicare, sed magis ex impertinentia. Unde Bernardus, immediate post omnia verba supra posita, dicit, *Non quia indigni vos, sed quia indignum vobis talibus insistere, quippe potioribus occupatis.* Responsionem etiam aliam Christi habemus, ex qua satis potest concludi propositum principale. Nam cum Pilatus peteret ab ipso, Utrum esset Rex? *Joh.* 18. ipse Christus respondit, *Regnum meum non est de hoc mundo.* Super quod verbum dicit Chrysostomus sic, *Hoc dicit, quoniam non tenet Regnum, sicut hi Reges terreni tenent: sed quoniam desuper habet Principatum, qui non est humanus, sed multo major & clarior.* Si enim, secundum quod Regula Juris dicit, nemo plus Juris transferre potest in alium, quam sibi competere dignoscatur, & Salvator dicit Regnum suum non esse ex hoc mundo, innuens se non habere Principatum humanum; liquet, quod nec in Papam transferre voluit temporale & humanum Regnum, & Regni Dominium. Idem etiam patet, scilicet, quod Papa non sit Dominus omnium temporalis, nec Jurisdictionem temporalem habeat super omnes, ex sublimitate status Apostolici. Status enim Prælationis est status perfectionis, sicut docent Theologi Doctores. Et hoc etiam habetur à Dionysio in libr. *de Ecclesiastica Hierarchia*, attribuens in 5. *cap.* illius libri, perfectionem Prælatis, tanquam perfectioribus: & in 6. *cap.* Religiosis, tanquam perfectis. Papa vero, non solum est Prælatus, imo est omnibus Ecclesiasticis Prælatis præpositus. Unde maximæ perfectionis debet esse status suus. Ad perfectionem autem non pertinet temporalis Jurisdictio, sed Dei electio: secundum illud, quod dicit Dominus, Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus.* Ergo ad Papam non tantum pertinet requirere Dominium in temporalibus, quantum suum affectum retrahere à temporalibus. Et est valde

valde mirum. Certum eſt enim, quod Prælati non ſunt Domini rerum Eccleſiaſticarum, ſed diſpenſatores tantum, *Extr. De donationib. fraternitatem*, & 12. *q.* 1. *ſi privatum.* Quomodo ergo Prælatus aliquis quærit Dominium ſuper res non Eccleſiaſticas, videlicet, ſuper Regna, & ſuper terras Regum & Principum? Plus enim ſuper res Eccleſiaſticas habent, quam habeant ſuper ſeculares. Poſſent autem aliqui dicere, quod nihil aliud concludunt prædicta, niſi quod Papa non eſt ſuperior Dominus omnium Chriſtianorum, ratione, qua eſt Vicarius Chriſti. Nam ratione iſta non eſt niſi pater ſpiritualis: Sed bene habetur cauſa alia, propter quam reputari debet, & eſt, omnium Dominus temporalis, videlicet, propter donationem, quam fecit Imperator Conſtantinus Beato Sylveſtro Papæ, & omnibus, qui poſtea ſibi ſuccedere debeant in Papatu, de qua habetur in Decretis, *Diſt.* 96. *Conſtantinus.* Sed videtur, quod iſtud non ſufficiat ad probandum, quod Papa ſit Dominus omnium Chriſtianorum in temporalibus. Nam quidquid fuit de Imperialibus Imperii Romani, & Occidentalis, & de ipſo Romano, & Occidentali Imperio, certum eſt tamen, quod Orientale Imperium Beato Sylveſtro non dedit, nec ſuis ſucceſſoribus, ſed illud ſibi retinuit. Unde & in Byzantio, quæ nunc Conſtantinopolis dicitur, ſedem Orientalis Imperii poſuit, eam ex nomine ſuo Conſtantinopolim appellans. Conſtat autem, quod tunc, & poſt donationem prædictam, in Oriente erant multi Chriſtiani, cum in Conſtantinopoli fundavit idem Conſtantinus inſignes Eccleſias, ſed unam præcipuam, quam Sanctæ Sophiæ, id eſt, divinæ Sapientiæ, quæ Chriſtus eſt, dedicavit. Ergo ratione illius donationis non poteſt dici Dominus temporalis omnium Chriſtianorum, ſed ſaltem illorum Chriſtianorum, qui ſunt de Romano Imperio. Quantum ergo ad illa Regna, quæ non ſubſunt Romano Imperio, non eſt Papa Dominus ſuperior in temporalibus: Regnum autem Franciæ non ſubeſt Romano Imperio: Immò ſunt certi limites, & fuerunt à tempore, ex quo non extat memoria, per quos Regnum & Imperium dividuntur. Ergo Papa in Regno Franciæ non eſt Dominus, nec ſuperior in temporalibus, ſed tantum in ſpiritualibus, ſicut & ubique terrarum. Et in ſignum hujus, Stephanus Papa, qui Pipinum, Regem Franciæ, in Eccleſia Sancti Dionyſii in Francia, in Regem Francorum inunxit, nihil ibi egit, ſicut Dominus temporalis; ſed ſicut ſpiritualis Pater, ipſum, & ſibi ſuccedentes in Regali hæreditate benedixit, ordinans quod

omnis alienigena ab ejus invasione Apostolico Anathemate interdiceretur, sicut apparet historias illius temporis diligentius intuenti. Si vero diceret aliquis, Regem, & Regnum Franciæ subesse in temporalibus Romano Imperio de Jure: & per consequens etiam Papæ, quamvis de facto fuerit aliud observatum: Contra hoc opponitur: Nam per præscriptionem legitimam Jus acquiritur præscribenti. Nulla autem præscriptio magis est legitima, quantum ad cursum temporis, quam centenaria: Unde & ipsa currit contra Romanam Ecclesiam. Reges autem Franciæ longe plus quam à centum annis sunt in possessione pacifica, quod solum Deum superiorem habent in temporalibus, nullum alium recognoscentes superiorem in istis, nec Imperatorem, nec Papam. Unde patet, quod per diuturnam possessionem est ipsis jus summæ superioritatis in Regno suo taliter acquisitum. Nec valet si contra hoc dicatur, quod ad hoc, quod præscriptio, quantumcunque longæva, valeat, oportet, quod ille, qui præscripsit, habeat bonam fidem. Nam possessor malæ fidei non præscribit. Constat enim Reges Franciæ fuisse bonæ fidei in ista possessione. Nam Christi semper fideles, & Ecclesiæ in suorum prosecutione Jurium, extiterunt, sicut exempla habemus de multis, qui nobis fuerunt propinqui tempore. Ludovicus enim Domini Regis, qui modò regnat, Proavus, in via quam fecit versus Albigenses, pro defensione Ecclesiæ obiit. Philippus Pater ejus, in Arragonia causam agens Ecclesiæ, ad Deum migravit. Beatus Ludovicus istius Regis Avus, pro dilatatione fidei Christianæ apud Carthaginem debitum universæ carnis exsolvit. Qui pro certo, si etiam in præscriptione superioritatis prædictæ, bonæ fidei non fuisset, nunquam fuisset canonizatus per Ecclesiam, nec auctor Fidei Jesus Christus, sanctitatem ejus tot, & tantis, & tam evidentibus Miraculis, comprobasset. Per istam eandem rationem concludi potest, quod Jus plenum habet Rex Franciæ accipiendi Regalia, id est, reditus Episcopales, dum vacant Episcopatus in aliquibus Ecclesiis Franciæ, & conferendi Beneficia Ecclesiastica, quorum collatio ad ipsos Episcopos, dum viverent, pertinebat. Ex præmissis ergo omnibus colligitur evidenter, quod Papa non est super omnes Christianos superior Dominus in temporalibus. Unde argumenta omnia istud concludentia, concedenda sunt, & respondendum est ad rationes.

AD RATIONES PRINCIPALES SEQUITUR RESPONSIO.

RESpondendum eſt ergo ad illa argumenta, quæ ad partem contrariam adducuntur.

Ad primum, quando dicitur, Matth. 28. *Data eſt mihi omnis Poteſtas, &c.* dico, quod iſtud eſt concedendum. Et quando accipitur poſtea, Papa eſt Chriſti Vicarius, &c. dico, quod Papa eſt Chriſti Vicarius, nec habet aliquam Poteſtatem vel auctoritatem, quam non habuit à Chriſto. Sed certum eſt, quod nec accepit omnem Poteſtatem, quam habuit Chriſtus. Chriſtus enim ſuam Poteſtatem non alligavit Sacramentis: Unde & ſua Poteſtas eſt ſuper Sacramenta. Poteſtas autem Papæ non eſt ſuper Sacramenta. Reſtringitur enim Papæ Poteſtas, ſicut notatur, *Extr. De conceſſ. præb. vel Eccleſ. non vacant. propoſuit.* in caſibus, in quibus non eſt dubium ſe excedere poteſtatem. Chriſtus autem Poteſtatem habuit faciendi miracula, quam Papa non habet ratione ſui Papatus. Unde male concluditur, quando concluditur tam generaliter, quod Papa habeat omnem poteſtatem Chriſti.

Ad ſecundum, quando opponitur de duobus luminaribus Firmamenti, notandum, quod, ſicut Gregor. dicit 15. *libro Mor. Sacra Scriptura omnes ſcientias ipſo locutionis ſuæ more tranſcendit: quia uno, eodemque ſermone, dum narrat geſtum, prodit myſterium.* Ex quo aſſumunt Theologi Doctores, quod duplex eſt ſenſus Sacræ Scripturæ, ſcilicet, Hiſtoricus, qui dicitur literalis: & Myſticus, qui dicitur ſpiritualis: qui dividitur in tres, ſcilicet, Anagogicum, Allegoricum, & Moralem: quorum medius, ſcilicet Allegoricus, eſt quando ea, quæ ſunt Veteris Legis, ſignant ea, quæ ſunt Novæ Legis. Sed inter omnes prædictos Sacræ Scripturæ ſenſus, non eſt niſi unus argumentativus, ſcilicet, Hiſtoricus, vel literalis, ex quo poſſet trahi argumentum, ſicut dicit Auguſtinus in Epiſtola *ad Vincentium contra Donatiſt. &c.* Dico ergo, quod illa expoſitio duorum luminarium, quæ ponitur in Decretali, *Solitæ*, non eſt expoſitio tangens ſenſum Hiſtoricum, ſive literalem, ſed ſolummodo Myſticum, & Spiritualem, videlicet, Allegoricum. Unde ex hoc non debet trahi aliquod argumentum. Quia ad deſtructionem errorum non proceditur, niſi per ſenſum literalem: eò quod alii ſenſus ſunt

per

per ſimilitudines accepti : & ex ſimilitudinariis locutionibus non poteſt ſumi argumentatio. Unde etiam Dionyſius dicit in Epiſtola *ad Titum*, quod ſymbolica Theologia non eſt argumentativa. Eſt etiam ad hoc alia reſponſio. Nam licet Sol ſit luminare majus, & Luna luminare minus: licet etiam Luna lumen non habeat, niſi à Sole: ſunt tamen aliqua, ſuper quæ Sol nihil poteſt, vel ſaltem non tantum, quantum Luna : utpote, ſuper aquarum maris attractionem, ſuper roris in aëre generationem, ſuper humani corporis diſpoſitionem, ad mutationem ſtatus Lunæ, ſecundum incrementum, & decrementum ipſius. Unde concludendo majoritatem luminarium majorum, id eſt, primitatem auctoritatis Sacerdotalis, ſuper luminare minus, id eſt, ſuper Poteſtatem Regalem, non concluditur, quod auctoritas Pontificalis ſit ſuper Poteſtatem Regiam, vel quod ſibi de Poteſtate Regia debeat aliquid uſurpare. Veruntamen, quia tota illa expoſitio, de illis duobus luminaribus, ad duo videtur tendere, videlicet, quod auctoritas Sacerdotalis ſit dignior, quam Poteſtas Regalis: & quod Poteſtas Regalis nihil Juriſdictionis habeat, niſi quantum ſibi derivatur ab auctoritate Pontificali: circa iſta duo eſt aliquantulum inſiſtendum. Et quantum ad primum, ſciendum, quod ſi de dignitate agitur, auctoritas Sacerdotalis dignior eſt, quam ſit Poteſtas Regalis, vel quæcumque Poteſtas alia ſecularis, ſicut ſpiritus dignior eſt corpore. Et illam dignitatem recognoſcunt omnes Fideles, & Catholici Principes, non ſolum de Papa, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ſed etiam de Sacerdotibus ſimplicibus, ipſis in omnibus, ſpiritualia tangentibus, humiliter ſe inclinando, & genuflectendo etiam coram ipſis, ſecundum quod ſe offert tempus devotionis, vel offerendo, vel confitendo, vel abſolutionem petendo. Et hanc dignitatem, non aliquam Dominationem temporalem, recognoſcebat Valentinianus Imperator, quando Suffraganeis Mediolanenſ. Eccleſiæ dixit, *Talem in Pontificali Sede conſtituere procurate, cui & nos, qui gubernamus Imperium, ſyncere noſtra capita ſubmittamus, & ejus monita, cum, tanquam homines, deliquerimus, ſuſcipiamus neceſſario, velut medicamenta curantis*, *Extr. De judic. novit.* Quia ergo conceditur ab omnibus, quod dignior eſt auctoritas Pontificalis, quam Poteſtas Regalis; fruſtra conatus eſt hoc tam exquiſite probare, inducens concluſiones Ptolemæi *in 5. Libro Almageſti*, de majoritate Solis, reſpectu terræ, & de majoritate terræ reſpectu Lunæ: & concludens, quod auctoritas Pontificalis major eſt auctoritate Re-

gali ſepties millies, & ſeptemcies, & quadrageſies, & ultra. Hoſtienſ. tam in *Apparatu* ſuo ſuper Decreto, *ſolitæ*, quam in ſua *Summa, in titulo, Qui fil. ſunt legit.* Quantum autem eſt de ſecundo, ad quod videtur tendere illa ſecunda expoſitio, videlicet, quod Poteſtas Regalis derivetur ab auctoritate Papali, patet hoc non eſſe verum. Nunquam enim prius derivatur à poſteriori, ſed è converſo. Prius autem fuerunt Reges, quam Summi Pontifices, ſicut docent hiſtoriæ facientes de Regibus & Summis Pontificibus mentionem.

Ad III. quod dicitur de Zachar. Papa, qui depoſuit Regem Franciæ, dicendum, quod non eſt verum. Nunquam permiſiſſent Barones Regni Franciæ. Unde & Johannes in *Apparatu Decretorum*, ſuper illud verbum, *Depoſuit*, gloſſat, *id eſt, deponentibus conſenſit.* Et certe, ſecundum veritatem hiſtoriæ, magis deberet gloſſari, *Depoſuit*, id eſt, deponere volentibus conſuluit. Pipinus enim miſit ad Papam, non ſicut ad temporalis Regni Dominum, ſed ſicut ad virum ſapientem, & patrem ſpiritualem, ad habendum conſilium, quia conſilium ejus, ratione ſtatus Summi Pontificii, videbatur eſſe multum authenticum, ſicut apparet ex verbis illius hiſtoriæ, quæ ſunt iſta. *Pipinus Princeps Francorum miſit Legatos ad Zachar. Papam, conſulens, quis potius Rex eſſe, aut dici, deberet; qui magnos pro Regni pace ſuſtineret labores, an qui otio deditus, ſolo nomine Regio eſſet contentus? Cui idem Pontifex remandavit, illum potius appellari Regem, qui bene Rempublicam regeret. Qua reſponſione tanti Pontificis Franci animati, Childerico Rege in monaſterio retruſo, & monaſtico tegmine palliato, Pipinum Regem conſtituunt.* Quod autem dicitur de Friderico, quem depoſuit Innocentius Papa IV. dico quod verum eſt, & de illo Imperatore concedo, quod Papa eſt ejus Dominus temporalis: quoniam ille Imperator fit per electionem, & à Papa confirmationem recipit, & coronam. Sed nihil horum eſt in Rege Franciæ.

Ad IV. de Decreto Gelaſii Papæ, dicendum quod vis illius Decreti eſt in verbis illis, *Noſce itaque*, tu, ſcilicet, Imperator, *ex illorum*, ſcilicet, Pontificum, *te pendere judicio.* Nam ex hoc concluditur, quod Imperator ſubſit Judicio Summi Pontificis. Et hoc bene concedendum eſt, ſed hoc eſt in ſpiritualibus tantum, non in temporalibus. Et ſi etiam concedatur quod in temporalibus de Imperatore, non propter hoc concludendum eſt de Rege Franciæ, propter cauſas tactas in ſolutione Tertii Argumenti.

Ad V. in quo opponitur de cœleſti Hierarchia, dicendum eſt, quod Hie-

Hierarchia cœlestis est de Angelis, & Hierarchia Ecclesiastica est de hominibus: & ideo exemplificatio Hierarchiæ Ecclesiasticæ ad cœlestem debet esse, quantum ad illa, in quibus est convenientia inter homines & Angelos, & non quantum ad illa, in quibus differunt. Conveniunt autem homines cum Angelis, non ratione corporis, quia Angeli sunt incorporales, sicut dicit Damascenus *libro secundo*; *Angelus, inquit, est substantia intellectualis, semper mobilis, arbitrio libera, & incorporea:* nec ratione temporis, quia Angeli non mensurantur tempore, sed ævo. Dicit enim Augustinus 12. *de Civitate Dei; Immortalitas Angelorum non transit tempore, quasi jam non sit, nec est futura, quasi nondum sit:* nec ratione alicujus rei temporalis, quia talibus non indigent, nec utuntur, sicut dixit Angelus Tobiæ 12. *Cum essem vobiscum per voluntatem Dei, videbar quidem vobiscum manducare & bibere, sed ego cibo invisibili, & potu, qui non potest videri ab hominibus, utor.* Sed bene conveniunt homines cum Angelis, quantum ad partem illam hominis, per quam homo est super corpus, & corporalia, & etiam temporalia, videlicet, quantum ad spiritum. Quando ergo dicitur, Ecclesiastica Hierarchia exemplata est ad similitudinem Hierarchiæ cœlestis, dico quod verum est in spiritualibus: Sed in nullo exemplificatio ista trahenda est ad temporalia, vel corporalia: & concedo, quod sicut in cœlesti Hierarchia est unus qui præest omnibus spiritibus, ita in Ecclesia est unus qui præest omnibus animabus, quantum ad ea, quæ pertinent ad spiritum & spiritualitatem, sed non quantum ad ea, quæ pertinent ad temporalitatem.

Ad VI. quo opponitur de Jeremia, cui dictum est, *Ecce constitui te super Gentes, & super Regna, Jerem. primo*; dico, quod quamvis Innocent. Papa tertius illam auctoritatem ad suam voluntatem exponat in illa Decretali *Solitæ*, sunt tamen aliæ multæ & suo proposito valde contrariæ, expositiones. Nam expositio Glossalis est ista, *Ecce constitui te super Gentes, & super Regna, ut evellas mala, & destruas, & dissipes Regna Diaboli, & ædifices Ecclesiam, & plantes bonum.* Ecce, videre potest quilibet, si secundum istam expositionem datum est Jeremiæ super Gentes, & super Regna Dominium aliquod, vel Jurisdictio temporalis. Potest ergo dici ad Argumentum, quod per illa verba, *Constitui te super Gentes, & Regna*, data est sibi superioritas, quantum ad officium prædicationis, & correctionis, in spiritualibus; non autem, quantum ad Dominium alicujus Jurisdictionis

ctionis in temporalibus. Et hoc satis expresse ostendit Beatus Bernardus, *libro secundo de Considerat. ad Eugenium Papam*, *cap.* 4. ubi loquens Eugenio Papæ, dicit sic: *Factum te superiorem dissimulare nequimus: sed enim ad quid omnimodis attendendum. Non enim ad dominandum opinor. Nam & Propheta cum similiter levaretur, audivit; Ut evellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes. Quid horum fastum sonat? Rusticani magis sudoris schemate quodam, labor spiritualis expressus est. Et nos ergo, ut multum sentiamus de nobis, impositum senserimus ministerium, non Dominium datum.* Et post pauca sequitur: *Disce exemplo Prophetico præsidere, non tam ad imperitandum, quam ad factitandum, quod tempus requirit: disce sarculo tibi opus esse, non sceptro, ut opus facias Prophetæ. Et quidem ille non regnaturus ascendit, sed extirpaturus.* Usque huc verba Beati Bernardi. Ex quibus clare patet, qualiter dicta auctoritas Jeremiæ debet exponi, & quod distorte ad sensum alienum trahitur.

Ad VII. ubi dicitur Deuteronom. 17. *Si quis superbierit*, &c. dicendum, quod satis ordinate duo ibi tanguntur; scilicet, Imperium Sacerdotis, & Decretum Judicis: ita quod in primo tangitur Jurisdictio spiritualis, & in secundo Jurisdictio temporalis. Et certe, *Nolens obedire Imperio Sacerdotis*, id est, illius qui habet Jurisdictionem spiritualem, *morietur*, id est, mortem merebitur spiritualem, mortale peccatum committendo: & *Nolens obedire decreto Judicis*, id est, illius, qui habet Jurisdictionem temporalem, *morietur*; temporaliter, mortem corporaliter sustinendo, vel naturalem, vel civilem, secundum varietatem casuum, in quibus committitur inobedientia. Ex quibus patet, quod ex auctoritate illa non potest concludi superioritas Papæ, respectu omnium, in temporalibus, sed potius contrarium.

Ad VIII. de illo *cap. omnes Dist.* 22. dicendum, quod quomodo illud verbum, *Qui beato Petro æternæ vitæ clavigero terreni simul, & cœlestis Imperii Jura commisit*, debeat intelligi, apparet per Decretum Anacleti Papæ, *Dist.* 21. *in novo.* Nam illa commissio facta Petro fuit, quando Dominus ei dixit; *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferi non prævalebunt adversus eam: & tibi dabo claves Regni Cœlorum*, sicut habetur in cap. illo *in novo.* Cujusmodi verba sumpta sunt de *Matth.* 16. *cap.* ubi post verba præmissa, sequitur, *Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcumque solveris super terram,*

erit

erit solutum & in cœlis. Ecce quomodo commissum est terrenum Imperium: ita videlicet, quod in terris potest ligare, & solvere. Quod certè necessariò posset intelligi, non temporaliter, sed spiritualiter. Et hoc apparet per illud, quod sequitur, *Et quodcumque ligaveris, &c.* Nam in cœlis nullum locum habere potest ligatio, vel solutio, temporalis. Et verum est, quòd qui istud Jus ligandi, & solvendi spiritualiter, Ecclesiæ Romanæ subtrahit, *in hæresim labitur*, ut dicitur in c. *omnes.* Sed Dominium super omnes in temporalibus non concedere Romanæ Ecclesiæ, non est Jus ejus in aliquo subtrahere: Et per consequens, nec est labi in aliquam hæresim.

Ad IX. quando dicitur; *Quæ sunt causatorum, insunt causis:* potest dici, quod quadruplex est causa: videlicet, materialis, & formalis: & istæ duæ sunt intrinsecæ: Aliæ duæ sunt extrinsecæ, scilicet, efficiens, & finalis. Si ergo intelligatur istud verbum, de causa materiali, non est verum. Materia enim, quantùm est de se, non est, nisi potentia pura. Et ideo actus, qui sunt in composito, non insunt causæ materiali. Similiter etiam de formali. Forma enim de se est simplex, & ideo ea, quæ in composito sunt, compositionem habentia, non debent dici esse in forma: Quia jam non esset simplex. De efficiente vero causa, videmus etiam aliqua esse in causato, quæ non sunt in causa. Sol enim causa effectiva est istorum terræ nascentium: & tamen in eis invenitur humiditas, viriditas, & alia, de quibus certum est, quod in Sole non sunt. De finali etiam causa, finaliter patet non esse verum. Nam in his, quæ ad finem sunt, invenitur motus, & imperfectio: in fine autem quies, & perfectio, inveniuntur. Propter quod illud verbum non potest intelligi simpliciter; *quæ sunt causatorum insunt causis*, nisi fiat aliqua additio, utpote, secundum relationem, vel secundum virtutem, ut in causa efficiente: vel secundum intentionem, ut in causa finali. Et quando dicitur postea, quod Potestas spiritualis causa est Potestatis temporalis; dico, quod falsum est, secundum quod accipimus Potestatem in proposito, videlicet, pro Jurisdictione. Nam causa prior est eo, cujus est causa. Reges autem habentes Potestatem temporalem prius fuerunt, quam Pontifices habentes Potestatem spiritualem, sicut jam pluries dictum est. Ad probationem autem cum dicitur; Sicut se habet anima ad corpus, sic spiritualia, quibus sustentatur anima, ad temporalia, quibus sustentatur corpus; dico, quod falsum est. Et ecce ratio. Nam anima sic sustentatur spiritualibus, quod ipsa spiritualia

tualia non agunt ad ſuſtentationem corporis. Sed temporalia ſic ad ſuſtentationem corporis agunt, quod agunt etiam ad ſuſtentationem animæ, quæ deficeret corpore deficiente. Unde majorem dependentiam habet anima à temporalibus, quam contra. Non poteſt ergo per hoc concludi, quod Poteſtas ſpiritualis præeſt reſpectu temporalium.

Ad X. ubi opponitur per Auguſtinum, quod vera Juſtitia non eſt in Republica, cujus Chriſtus non eſt rector; dico certè, quod hoc eſt verum. Ipſe enim eſt *Rector potens, verax Deus.* Sed quando dicitur, Papa eſt Chriſti Vicarius, dico, quod verum eſt in ſpiritualibus: ſed bene habet alium Vicarium in temporalibus, videlicet, Poteſtatem temporalem; quæ cum ſit à Deo, ſicut dicitur *Roman.* 13. poteſt dici, vices Dei gerere in regimine temporali.

Ad XI. De ſpirituali, qui omnia judicat; dico, quod Apoſtolus non loquitur ibi de Judicio Juriſdictionis, quod competit alicui per ſupremam impoſitionem, de quo intendimus ad præſens, ſed loquitur de Judicio diſcretionis, quod habetur per internam inſpirationem. Et hoc ſatis apparet per Gloſſam ſuper illum locum. Ipſa enim interna inſpiratio facit hominem de omnibus judicare, hoc eſt, diſcretè ſapere, & ſentire, ſecundum illud 1 Johan. 2. *Unctio ejus docet vos de omnibus.* Ex quo apparet, quod auctoritas illa non facit ad propoſitum.

Ad XII. in quo dicitur; Qui poteſt quod eſt majus, poteſt etiam quod eſt minus; dico, quod illud non eſt ſemper verum, ſicut patet. Nam corpus Chriſti conficere multo majus eſt, quam excommunicare, vel ab excommunicatione abſolvere: & tamen non omnis, qui poteſt corpus Chriſti conficere, poteſt excommunicare, vel abſolvere, ſicut aliqui Sacerdotes, nullam Juriſdictionem habentes. Oportet ergo illud verbum exponere, ut dicamus, quod veritatem habet in his, quæ inter ſe ordinata ſunt, & ex hoc quandam dependentiam habent, ſicut in officiis Ordinum Eccleſiaſticorum. Quia enim inter ſe ordinata ſunt, certè qui poteſt miniſtrare in Ordinibus Sacris, quod eſt majus, poteſt etiam miniſtrare in Ordinibus non Sacris, quod eſt minus: & qui poteſt miniſtrare in Officio Sacerdotis, quod eſt plus, poteſt etiam miniſtrare in Officio Diaconi, quod eſt minus. In propoſitio autem non eſt ita. Nam & Juriſdictio ſpiritualis, quam habet Papa, & Juriſdictio temporalis, quam habet Rex in Regno ſuo, omnino diſtinctæ ſunt, & disjunctæ, ita quòd, ſicut Rex non habet ſe intromittere

de

de Jurisdictione spirituali, quæ est penes Papam; ita nec Papa habet se intromittere de Jurisdictione temporali, quæ residet penes Regem. Unde non est inter istas duas Jurisdictiones mutua dependentia, nisi quantum ad mutuam defensionem, quam sibi mutuo tenentur exhibere, cum necesse fuerit, prout ad unamquamque pertinet, ut bene valeat Regi Respublica, tam spiritualiter, quam corporaliter. Et ista satis probari possunt per ea, quæ habentur in Decretis *Dist.* 10. *quoniam idem*, & in c. *De capitulis*, tam in textu, quam in Glossa.

Ad XIII. de Cant. 6. *Una est columba, &c.* id est, Ecclesia; dico, quod illa unitas non tollit duplicitatem Jurisdictionis; sed ponit simplicitatem intentionis, tollendo duplicitatem simulationis. Unde Glossa Interlinearis, super illud verbum, *Una*; dicit, Simplicitate: Vel aliter potest dici, quod unum simpliciter potest dici aliquid, multis modis. Uno modo dicitur aliquid unum, indivisibilitate, quod non dividitur, nec actu, nec potentia; ut punctus, unitas. Alio modo dicitur unum, continuitate, quod est unum actu, & plura potentia, sicut linea. Tertio modo dicitur unum, perfectione, sicut domus una, vel calceamentum, vel hujusmodi. Et hoc modo dicitur unum, illud, ad cujus integritatem diversa requiruntur. Et hoc modo Sacramentum Eucharistiæ dicitur unum, quamvis ibi diversa concurrant; & ex parte materiæ; scilicet, panis, & vinum; & ex parte formæ; scilicet, verba consecrationis Corporis, & verba consecrationis Sanguinis. Isto modo Ecclesiam esse unam, unitate scilicet perfectionis, ad quam plura concurrunt ad hoc, ut sit perfecta. Inter quæ duo principalia sunt, scilicet, Jurisdictio spiritualis, & temporalis. Et propter hoc, statim post illud verbum, *Una est columba mea*, subjungitur, *Perfecta mea.* Et ad hoc, quod dicitur; Una est sponsa: Ergo debet habere unum sponsum; dico, quod verum est. Et iste sponsus est Christus. Et istius sponsi Papa est Vicarius. Et hoc in regimine spiritualium. Alium autem habet in regimine temporalium, sicut patet in solutione 10. Argumenti.

Ad XIV. ubi dicitur de confirmatione Imperatorum per Papam, dicunt aliqui, quod sicut Cardinalis Hostiensis consecrat Papam; & tamen post consecrationem nullam Jurisdictionem spiritualem habet super ipsum Papam: ita Papa confirmat Imperatorem, & etiam coronat: & tamen post confirmationem, & coronationem, nullam Jurisdictionem temporalem super ipsum habet; sicut nec Prophetæ habuerunt aliquam Jurisdictionem temporalem super Reges, quos inungebant, ut

ſupra dictum eſt. Ego dico, quod quicquid ſit de Imperatore, nunquam tamen ſuper Regem Franciæ habet Papa, vel habuit aliquam temporalem Juriſdictionem. Et hoc, quia idem Rex habet Regnum, non per electionem, ſed per ſucceſſionem; nec unquam à Papa recipit confirmationem, vel coronationem. Unde patet, quod non bene concluditur, quando dicitur; Papa eſt ſuperior in temporalibus Imperatore: Ergo quolibet Chriſtiano. Quia aliquæ cauſæ ſunt in Imperatore, quare ſubditus ſit Papæ in temporalibus, quæ non inveniuntur in aliquibus Regibus, ſicut in Regibus Franciæ, & Hiſpaniæ, & fuit etiam aliquando in Rege Angliæ, videlicet, uſque ad tempus Regis Johannis, qui dicebatur, Sine terra, ſicut apparet per inſpectionem Chronicorum: unde etiam illa Decretalis, *Extr. Qui fil. ſunt legitim. cauſam*, quæ facta fuit ante tempus illius Johannis Regis Angliæ, ſicut notat Hoſtienſis in ſuo *Apparatu*, ſuper eandem Decretalem.

Ad XV. de conſtitutione Petri in Vicarium Chriſti, per illa verba, *Et tibi dabo claves Regni Cœlorum*, patet ſolutio per ea, quæ dicta ſunt in reſponſione ad Octavum Argumentum, ubi verba illa plenius exponuntur.

Ad XVI. ubi arguitur de legitimatione; dicendum eſt ſemper, quod notat Bernardus in *Apparatu* ſuo, quod Papa poteſt legitimare, quantum ad honores, & dignitates aliquas temporales, illos, qui non ſunt de Juriſdictione ſua temporali, ut per hoc intelligantur legitimati, ut poſſint eſſe Judices, & habere hujuſmodi honores, quos antea non habebant. Tamen non poteſt legitimare aliquem, quantum ad hoc, ut ſuccedat in hæreditate, tanquam legitimus heres, qui non ſit de ſua temporali Juriſdictione. Et in hac ſententia, ſicut notatur ibi, fuerunt Laurentius, Vincentius, & Tancredus. Primum non probat in Papa aliquod Dominium temporale ſuper illos, qui non ſunt de ſua temporali Juriſdictione; Sed ſecundum bene probaret, ſi eſſet. Vel aliter poteſt reſponderi ſic. Quando dicitur; nullus poteſt legitimare aliquem ad honores & dignitates temporales, niſi ſuper illum habeat Dominium temporale; dico, quod verum eſt, ſi accipiatur Legitimare, directe, & de debito Jure. Et quando dicitur, quod Papa poteſt; dico, quod hoc non poteſt, niſi indirecte, & quaſi per quandam conſequentiam non neceſſariam, ſed congruam. Poteſt tamen legitimare, quantum ad ſpiritualia. Et certe clarum eſt, quod qui legitimatus eſt, quantum ad ſpiritualia, quæ majora ſunt, intelligatur etiam legitimatus,

quan-

quantum ad honores temporales, per quandam reverentiam, quæ debet exhiberi Papæ, quam etiam exhibuerunt ei Principes, plura ipsi, quæ non erant sibi de Jure debita, permittendo.

Ad XVII. Argumentum, de auctoritate Bernardi ad Eugenium; dico, quod Bernardus non loquitur ibi asserendo, sed magis dubitando. Et hoc apparet ex duobus. Primo ex hoc, quod ipse ponit ibi, *Forsitan*, dicens, *Tuus ergo, & ipse forsitan, &c.* Secundo ex hoc, quod in fine illorum verborum dixit; *Et de hoc alias:* ac si diceret, Non stes ei, quod modo dictum est cum dubitatione, sed his, quæ alias dixi. Sub assertione autem contrarium dixit, & docuit, in eodem libro, in pluribus locis, sicut superius tactum est, & apparet intuenti in *primo libro*, 5. *Capitulo*, & *in tertio libro*, 1. *Capitulo*, in quo verba ista sunt, *Ut mihi videtur, dispensatio tibi super illum*, id est, super orbem terrarum, *credita est, non data possessio. Si pergis usurpare & hanc; contradicit tibi, qui dicit; Meus est enim orbis terræ, & plenitudo ejus. Non tu ille, de quo Propheta, Et erit omnis terra possessio ejus. Christus hic est, qui sibi possessionem vendicat, & Jure creationis, & merito redemptionis, & dono Patris. Cui enim alteri dictum est, Postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ? Possessionem, & Dominium cede huic, tu curam illius habe. Pars tua hæc, ultra ne extendas manum. Quid? inquis: Non negas præesse, & dominari vetas? Plane sic. Quasi non bene præsit, qui præest in sollicitudine. Numquid non & villa Villico, & parvulus Dominus subjectus est Pædagogo? Non tamen villæ ille, nec is Domini sui Dominus est. Ita & tu præsis, ut provideas, ut consulas, ut procures, ut serves: Præsis, ut prosis: Præsis, ut fidelis servus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam. Ad quid? Ut des illis escam in tempore, hoc est, ut dispenses, non imperes. Hoc fac, & dominari non affectes, homini homo, ut non dominetur tui omnis injustitia. At satis superque id intimatum supra, cum quis sis disputaretur. Addo tamen & hoc. Nam nullum tibi venenum, nullum gladium plus formido, quam libidinem dominandi.* Usque huc verba Beati Bernardi. In quibus apparet, quod Papa super omnes nec habet, nec appetere debet, Dominium temporale. Et placeat illi, qui *dominator est virtutis, & cum tranquillitate judicat*, sicut dicitur, *Sap.* 12. Per quem in mari facta est tranquillitas, sicut habetur, *Matth.* 14. ut post tempestatem modernam, tranquillum faciat: & ut verbis Apostoli 1 *Timoth.* 2. utar,

Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate constituti sunt, ut quietam, & tranquillam vitam agamus. Amen. Deo gratias.

EXPLICIT.



NOTÆ

NOTÆ

IN

CENSURAM HUNGARICAM

QUATUOR PROPOSITIONUM

CLERI GALLICANI.

Opera & Studio aliquorum Theologorum Parisiensium.

Nobis nihil è nostro arbitrio inducere licet, sed nec eligere quod aliquis de suo arbitrio induxerit. Apostolos Domini habemus auctores, qui nec ipsi quidquam ex suo arbitrio quod inducerent elegerunt: sed acceptam à Christo disciplinam fideliter Nationibus adsignaverunt. Itaque etiamsi Angelus de cœlis aliter euangelisaret, anathema diceretur à nobis. Tertull. De Præscriptionibus cap. 6.

26

Amarias Sacerdos & Pontifex veſter in his quæ ad Deum pertinent præſidebit. Zabadias qui eſt Dux in domo Juda, ſuper ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent. 2 Paral. 19. v. 9.

PRÆFATIO.

SI novitia veteribus, extranea domesticis, & profana sacratis admisceri cœperint, proserpat hic mos in Universum; necesse est ut nihil post hac apud Ecclesiam relinquatur intactum, nihil illibatum, nihil integrum, nihil immaculatum; sed sit ibidem deinceps impiorum ac turpium errorum lupanar, ubi erat anteà castæ & incorruptæ Sacrarium veritatis.

CErtè quàm sapienter & quàm verè Vincentius Lyrinensis dicat[a], experientia convincit. Nihil enim tam allicit ad fidem Catholicam, quàm si sana Ecclesiæ *doctrina* & *sermo* ejus *irreprehensibilis* proponantur: sicut nihil tam *turbat* Ecclesiam, &[b] *odiosam facit Chananæis & Pharisæis*, id est, hæreticis & impiis, nisi cùm doctrina Scholasticorum & Casuistarum proponitur illis pro Doctrina Ecclesiæ.

Omnes ferè hæretici *adversus Catholicam fidem latrant accusando, quod quærendo discere deberent.* Testis est[c] Augustinus, qui deceptus à Manichæis *Catholicam fidem cœcis contentionibus accusabat, & si nondum compertam vera docentem, non tàmen ea docentem quæ graviter accusabat.*

Testis Alipius amicus Augustini de quo refert[d] *quòd tardius ad ipsam Christianam fidem pigriusque movebatur, quòd errorem Apollinistarum fidem Ecclesiæ esse crederet:* Sed posteà cognoscens hæreticorum esse dogma, *Catholicæ fidei collætatus & contemperatus est.* Unde gratias agit Deo exclamans: [e] *Itaque confundebar & convertebar, & gaudebam Deus meus, quòd Ecclesia unica, corpus unici tui non saperet infantiles nugas, neque hoc haberet* IN DOCTRINA SUA SANA, *quòd te creatorem omnium in spacium loci, quamvis summum & amplum,*

a In Commonit. c. 31. b Gen. 34. v. 30. c Lib. 6. Conf. cap. 40. d Lib. 7. Conf. c. 19. e Lib. 6. Conf. c. 4.

amplum, tamen undique terminatum, membrorum humanorum figuræ contruderet; quod erat hæresis Manichæorum.

Testis denique Sanctus Franciscus Salesius sexaginta millium hæreticorum & amplius conversione illustris, qui conqueritur in Epistolis suis, *quod disputationes inter Catholicos de auctoritate Papæ & Regis essent hæreticis in ruinam & in scandalum.*

Certè Dominus noster Jesus Christus *Princeps pastorum, Episcopus animarum nostrarum, magnus Pastor ovium*, & ut loquitur Sanctus Augustinus, Pastor pastorum, has contentiones & pugnas Legis dirimit his verbis: *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo:* id est, Reddite Regibus quæ Regum sunt; & Summis Pontificibus quæ sunt Summorum Pontificum.

Quapropter Sanctus Joannes Chrysostomus declarat: [a] QUI IGNORAT SANAM ET ORTHODOXAM ECCLESIÆ DOCTRINAM, ARCEATUR LONGE A SEDE EPISCOPALI. Et Sanctus Hilarius Catholicam fidem propugnans coram Imperatore Constantio contra Arianos Episcopos, hæc loquitur: *Sed impietatis ipsius hinc vel præcipuè causa est perpetua, quòd fidem Apostolicam septuplo proferentes, ipsi tamen fidem Euangelicam nolumus confiteri: dum impietates nostras novis in populis multiloquiis defendimus, & magniloquentiæ vanitate aures simplicium verbis fallentibus illudimus, & per speciosum pacis nomen in unitatem perfidiæ subrepimus, & sub rejiciendis novitatibus rursum ipsi novis ad Deum vocibus rebellamus.*

Ex his evincitur quàm injuste, quàm temerariè, quàm præcipitanter, quàm falsò & indoctè Clerus Hungaricus invehatur in Quatuor Propositiones Cleri Gallicani, cùm istæ Propositiones nihil dicant nec doceant nisi doctrinam rectam, justam & orthodoxam: Et cùm Censura Hungarica nihil sapiat nisi doctrinam novam, falsam & erroneam, quia ubique verbo Dei contraria; inimica sit & destructiva temporalis Principum dignitatis, quia cautè insinuat eam Romano Pontifici subesse; pacem & charitatem Ecclesiæ perturbet, communionemque Sanctorum dissolvat, quia dat soli Papæ quod Ecclesiæ proprium est; violentum Donatistarum Schisma inspiret, quia audacter vult Schismaticos esse, qui non adhærent dogmati suo novo; Hæreticos à fide avertat, quia falsitatem pro veritate propinat; denique reverentiam Apostolicæ Sedi debitam auferat, quia contra mentem [b] Sancti Petri docet dominationem & supercilium in Leges eccle-

[a] Hom. 2. in c. 1. epist. ad Titum. [b] 1 Petri 5. v. 2.

ecclesiasticas. Attendat Clerus Hungaricus ad hæc verba Sancti Petri.

Seniores ergo qui in vobis sunt, obsecro consenior, & testis Christi passionum, pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundùm Deum; neque turpis lucri gratiâ, sed voluntariè; neque ut dominantes in Cleris, sed forma facti gregis ex animo.

Falsitas non debet tolerari sub velamine pietatis, dicit Innocentius Tertius, & S. Gregorius, [a] *Si sua cuique Episcopo Jurisdictio non servatur, quid aliud agitur, nisi ut per nos, per quos ecclesiasticus custodiri debuit Ordo, confundatur.* Testor Dominum Jesum & Sanctos Angelos ejus, me nulla contradicendi, vel scriptutiendi voluntate adductum, ut Notis ex Scriptura Sancta & Sanctis Patribus desumptis Censuram Hungaricam proscriberem.

Vicit amor Patriæ, non laudum injusta cupido. Vicit amor Regis, Regumque tremenda Potestas. Sed vicit amor Christi de quo dixit Apostolus: [b] *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro eâ, ut illam sanctificaret, & exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, aut aliud hujusmodi, sed ut sit* SANCTA ET IMMACULATA.

Verùm quia dies mali sunt, & homines [c] *mente corrupti* in magno numero, resistunt veritati, & veritatis defensores quasi hostes criminantur & impugnant: sicut in libris Machabæorum, [d] *Provisorem Civitatis ac defensorem Gentis, & æmulatorem Legis Dei Oniam Pontificem audebat Simon insidiatorem Regni dicere:* Sic homines isti veros Ecclesiæ Defensores ut inimicos persequuntur. Ut ergo eorum os loquens injusta & falsa obstruatur, profiteor cum Sancto Augustino: [e] *In gremio Ecclesiæ justissime me tenet consensio populorum atque Gentium: tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata: tenet ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad præsentem Episcopum Successio Sacerdotum: tenet postremò ipsius Catholicæ Nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses sic ista Ecclesia sola obtinuit, ut cùm omnes heretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus hæreticorum vel Basilicam suam, vel domum audeat ostendere.*

a Lib. 9. Ep. ep. 22. b ad Eph. 5. v. 24. c 2 ad Tim. 3. v. 8. d 2 Mach. 4. v. 2. e Libro contra Epistol. fundamenti c. 4. tom. 6.

Censura Hungarica.	Notæ.

Georgius Szelepechemy Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ [A] Ecclesiæ Metropolitanæ Strigoniensis Archiepiscopus, Locique & Comitatus ejusdem supremus ac perpetuus Comes, Primas Regni Hungariæ, Legatus natus Summus & Secretarius, [B] Cancellarius Sacræ Cæsareæ, Regiæque Majestatis intimus Consiliarius, Universis & singulis Christi Fidelibus in Hungariæ Regno constitutis, Salutem.

[A] Nova in Ecclesia doctrina. Quis Sanctorum Patrum ita locutus est? Apostolus Actor. 20. v. 28. *Attendite vobis & universo Gregi, in quo vos* SPIRITUS SANCTUS *posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Non dixit Apostolus: in quo vos Petrus posuit Episcopos.

Sanctus Cyprianus de unitate Ecclesiæ. *Hoc erant utique & cæteri Apostoli quod fuit Petrus pari consortio præditi & honoris & potestatis; Sed exordium ab unitate,* (Petro) *proficiscitur, ut Ecclesia Christi una monstretur.* Et paulò post: *Nemo fraternitatem mendacio fallat: Nemo fidei veritatem perfida prævaricatione corrumpat: Episcopatus unus est, cujus à singulis in solidum pars tenetur.*

Sanctus Augustinus: *Ecclesia quæ fundatur in Christo, Claves ab eo Regni Cœlorum accepit in Petro, id est, Potestatem ligandi atque solvendi peccata.* Tract. ult. in Joan. & Tract. 50. L. de Agone Christi cap. 30. Serm. 108. de Diversis. Serm. 13. de Verbis Domini Ep. 172. His locis docet Augustinus: *Claves datas esse unitati,* id est, Ecclesiæ, *quam Petrus ut primus Apostolorum repræsentabat. Petrus à petrâ, non petra à Petro. Non est contemnendus Christus.*

[B] *Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus.* 2 ad Tim. 2. v. 4.

Decreti p. 1. distinct. 51. c. 1. *Curiales excluduntur à Sacris Ordinibus.*

Ubi primùm Ecclesiæ Strigoniensi præfuimus, actutùm in eam curâ & cogitatione pro adepti muneris officio incumbere cœpimus, ut Nationalem [c] Synodum indicere celebrareque possemus, quatenùs Dei adjutrice gratiâ illa in ea inveniretur provisio, per cujus salutiferam executionem eliminarentur errores, evellerentur vitia, corrigerentur excessus, reformarentur mores, plantarentur virtutes, roboraretur Catholica fides, Sacræ Sedis Apostolicæ firmaretur auctoritas.

[c] Laudandus zelus Illustrissimi Primatis, quia *frequens Conciliorum celebratio est cultura agri Dominici*, dicebat Sanctus Bernardus.

Oratores Christianissimi Galliarum Regis, & pariter Oratores Cæsareæ Majestatis in Concilio Tridentino habebant in mandatis art. 34. *Decernat Sancta Synodus, ut non solùm Synodi Episcopales quotanno semel ad minimum; sed etiam tertio quoque anno Provinciales congregentur, in quibus de his quæ ad statum Ecclesiasticum pertinent, diligenter tractetur; de Ministrorum Ecclesiæ delictis maturè cognoscatur, & in eos qui deliquerunt, severè animadvertatur: Et ut Concilia Generalia, nisi aliquod obsistat impedimentum, decimo quoque anno celebrentur.*

Petitiones istæ excusæ sunt Ripæ Anno 1563.

Sed alia brevior & tutior via. Longum iter per præcepta; breve & efficax per exempla. Audiamus Sanctum Apostolum: *Attende tibi & doctrinæ; insta in illis, hoc enim faciens, & teipsum salvum facies, & eos qui te audiunt.* 1 ad Tim. 4. v. 16. *Et in omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum* IN DOCTRINA, *in integritate, in gravitate*, VERBUM SANUM IRREPREHENSIBILE, *ut is qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis.* ad Titum 2. v. 7. *veritatem dico, non mentior, Doctor Gentium* IN FIDE ET VERITATE. 1 ad Tim. 2. v. 7. Dicebat Hadrianus VI. *Observentur Canones, & nullæ erunt hæreses.* Dixerat ante eum Sanctus Leo ep. 66. *Universæ pacis tranquillitas in eo consistit, si sua Canonibus intemerata reverentia servetur.* Mirandum certè quod in petitionibus Oratorum Christianissimi Regis, & Cæsareæ Majestatis, de quibus paulò ante, quamvis Christianus Orbis ubique scateret, & plenus esset variis erroribus, tamen Oratores istorum magnorum

magnorum Principum postulabant à Concilio Tridentino, *ut Clerus in Capite & in membris reformaretur in moribus, & Disciplina Ecclesiastica observaretur secundum antiquos Canones.* COEPIT JESUS FACERE ET DOCERE. Act. I. v. I.

Cùm verò terribiles continuò in inclyto hocce Hungariæ Regno excitarentur tumultus, & gravissimæ exarderent seditiones, & (quod sine maximo animi dolore nec meminisse possumus nec referre) augerentur in dies, adnitente nimirum humani generis hoste, aliaque ex aliis impedimenta objiciente, ut tantum Ecclesiæ Hungaricæ beneficium vel prorsus, vel saltem quàm diutissimè retardet; eapropter tàm pium & salutare opus à nobis hactenus impleri non valuit.

Clementissimus tamen & misericors Dominus, qui numquam ità irascitur, ut misericordiæ non recordetur, nobis quoque pacem & unitatem donare dignabitur, ut præfata Nationalis Synodus suo tempore celebretur.

Non prætermittimus interim quantum nobis ex alto conceditur, vigili curâ commissum nostro regimini gregem in viam mandatorum Dei dirigere, Divini amoris cultum protendere, fidem catholicam ampliare, ea demùm prompto corde & efficaci desiderio inquirere, quibus Orthodoxa Romana Ecclesia exaltetur, falsæ doctrinæ & perversi errores extirpentur, Supremi in terris Vicarii Potestas integra inviolataque persistat.

Inter cætera autem quæ se nobis corrigenda & eliminanda obtulerunt, & moram pati non possunt sine evidenti periculo animarum, non ultimum locum tenent Quatuor [D] illæ Propositiones quæ Cleri

[D] Diceret Isaias Propheta [a]: *væ qui dicitis malum, bonum, & bonum, malum; ponentes tenebras, lucem, & lucem, tenebras; ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum. Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coràm vobismetipsis prudentes.*

[a] c. 5. v. 20.

Abje-

Cleri Gallicani nomine nuper Parisiis congregati prodierunt. Scilicet, *Primum Beato Petro* &c. Quæ quidem Propositiones auribus Christianis absurdæ & planè detestabiles, cùm per Hungarici quoque Regni Provincias à Satanæ ministris disseminatæ sint, eo fortassè consilio, ut perduellioni & cæteris malis intestinis pabulum & fomentum suppeditent, & incautis fidelium animis blandâ pietatis specie Schismaticum virus instillent: Nos emissâ in præsens curâ eas confutandi, cum præcipuâ Sanctorum Patrum traditione, OEcumenicorum Conciliorum Decretis, & apertis ipsius Divini Verbi testimoniis satis explosæ confutatæque sint (quàmvis nonnulla Scripturæ loca Auctores Propositionum in suam sententiam callidâ & falsâ interpretatione detorqueant) neque desint insignes Theologi, qui has partes strenuè exequantur, Prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, qui in hujusmodi casibus unanimi consilio & spiritu noxias

Abjecerunt Legem Domini exercituum, & eloquium Sancti Israël blasphemaverunt. Nota quod sequitur: * *Ideò iratus est furor Domini in populum suum, & percussit eum.* Diceret adhuc Propheta: *Pro eo quod reprobastis verbum hoc, & sperastis in calumniâ & in tumultu, & innixi estis super eo: propterea erit vobis iniquitas hæc sicut interruptio cadens, & requisita in muro excelso, quoniam subitò, dum non speratur veniet contritio ejus.*

Primam Propositionem vendicabo à calumniis & ignorantiâ. Et alias posteà. Hæc est prima Propositio. *Hæc sancienda & declaranda esse duximus.* Primùm Beato Petro, ejusque Successoribus Christi Vicariis, ipsique Ecclesiæ rerum Spiritualium, & ad salutem pertinentium, non autem civilium ac temporalium à Deo traditam potestatem, dicente Domino: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Et iterùm: *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo:* ac proindè stare Apostolicum illud: *Omnis anima Potestatibus Sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt. Itaque qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Reges ergò & Principes in temporalibus nulli Ecclesiasticæ Potestati

* Ib. v. 25.

noxias doctrinas & in fide periculosas proscripserunt, sicut & variis Apostolici Regni Comitiis & Conciliis, quæ variis temporibus & occasionibus habita fuerunt, sanè perspicitur, Dei nomine invocato, & præhabitâ eâ meliori formâ, quæ per temporis & loci difficultatem licuit, diligenti examine & maturâ deliberatione cum Venerabilibus Fratribus nostris & Coepiscopis, Abbatibus, Præpositis, Capitulis, aliisque compluribus Theologiæ Professoribus, & Sacrorum scientiâ præstantibus Viris, præfatas Quatuor Propositiones configimus & proscribimus, ne eas legere nec tenere, multò minus docere audeant; donec super eas prodierit [E] infallibile Apostolicæ Sedis oraculum, ad quam solam divino & immutabili Privilegio spectat de controversiis fidei judicare, cui propterea has nostras Litteras, Declarationes & Decreta humillime submittimus.

Insuper stati Dei ordinatione subjici, neque auctoritate clavium Ecclesiæ directè vel indirectè deponi, aut illorum subditos eximi à fide atque obedientiâ, ac præstito fidelitatis Sacramento solvi posse, eamque Sententiam publicæ tranquillitati necessariam, nec minùs Ecclesiæ quàm Imperio utilem, ut verbo Dei, Patrum traditioni, & Sanctorum exemplis consonam, omninò retinendam. *Si malè loquitur hæc Propositio, perhibete testimonium de malo: Si autem benè, quid eam cœditis?* Nàm dicere nos emissâ in præsens curâ eas confutandi, &c. est promittere se ædificaturos [a] *civitatem & turrim, cujus culmen pertingat ad Cœlum, cujus nomen vocabitur Babel, quia ibi confusum erit labium Hungariæ universæ.*

Nemo [b] *enutritus verbis fidei & bonæ doctrinæ* condemnabit hanc Propositionem. Nemo sanæ mentis hanc Propositionem *absurdam & planè detestabilem dicet, minùsque Schismaticum virus inspirare*; cum Scriptura Sancta crimen nefandum, quod verbis exprimi erubescitur, condemnat, his verbis loquitur, [c] *Rem detestabilem facere.* Ubi crimen nefandum in hac Propositione, nisi in mente & doctrinâ illorum, qui sustinent, quod *Papæ licet Imperatores & Reges deponere, & à fidelitate iniquorum subditos absolvere?*

[a] Gen. 11. 9. [b] ad Tim. 4. v. 6. [c] Gen. 38. v. 10. Sap. 19. v. 13.

Fa-

Fateor hanc esse Jesuitarum hæresim, quam à centum annis in Collegiis & in libris suis per primarios Professores plusquam viginti docuerunt.

Sed quis Orthodoxorum non abhorret tàm pestilens dogma & tàm perniciosum Ecclesiæ & Sanctæ Sedi? Quis est qui nesciat omnes Universitates & Parlamenta Regni Galliæ insurrexisse & condemnasse semper hanc hæresim in libris Jesuitarum, & maximè in libro Antonii Sanctarelli Jesuitæ, qui inscribitur: *Tractatus de Hæresi, Schismate & Apostasiâ. &c.* Cujus Libri Sanctarelli Censuram jam olim latam anno 1626. Sacra Facultas Parisiensis iterùm publicandam esse censuit die 4. Novembris anno 1682. in Comitiis Ordinariis propter theses Majoris Ordinariæ dicatas Sancto Petro à Francisco Malagola Ordinis Prædicatorum, in quarum dedicatione clanculùm apposuerat: *Dei Vicario tenenti apicem utriusque Potestatis.*

Sed quis verè Catholicorum non dolet Jesuitas Labbæum & Cossartium in editione Conciliorum Generalium factâ Parisiis anno 1672. in secundo tomo Apparatus ad Concilia Generalia p. 329. altera columna docere cum Jacobatio, *quod Papa solus potest deponere Imperatorem, Reges, & quoscumque alios.* Et DE REGE FRANCIÆ est textus in c. alius 15. q. 6. & de Imperatore ponitur in C. in istis. 4. dist. & in C. venerabilem, de Elect. *& quod aliquando factum reperitur cum Concilio hoc fuit de honestate: vel si intervenit Concilium, intervenit approbando, non authorisando.* Sed quis non demiretur temeritatem Jesuitarum, qui in editione, cui præfuerunt, Conciliorum Generalium facta in Lupara domo Regis, & impensis Regis tom. 28. p. 676. ausi sunt dicere: JUSTE EXCOMMUNICAVIT BONIFACIUS OCTAVUS PHILIPPUM PULCHRUM, QUIA VIOLAVIT JUS GENTIUM, & in ista editione lacerare Pragmaticam Sanctionem, & Concilium Bituricense sub Carolo Septimo, in quo ex Concilio Basileensi Generali multa pro Reformatione & bono Statu Ecclesiæ constituta sunt.

Sed redeo ad Censuram Antonii Sanctarelli Jesuitæ; quando quidem hæc Censura omnium & singulorum Doctorum maturis deliberationibus facta docet & declarat, quod in præfatione harum Notarum præmonuimus, quia doctrina Sanctarelli continetur in Censura Hungarica. Facultas improbavit & damnavit doctrinam his Propositionibus scilicet Sanctarelli contentam, *tanquam novam, falsam, erroneam,*

verbo Dei contrariam, Pontificiæ dignitati odium conciliantem, Schismati occasionem præbentem, supremæ Regum auctoritati à Deo solo dependenti derogantem, Principum infidelium & hæreticorum conversionem impedientem, pacis publicæ perturbativam, Regnorum, Statuum, Rerumque publicarum eversivam, subditos ab obedientiâ & subjectione avocantem, & ad factiones, rebelliones, seditiones, & Principum parricidia excitantem.

Si hæc dura videntur Clero Hungarico, aperiat mentem suam super condemnatione Quatuor Propositionum Cleri Gallicani, dicatque verbis non fictis, neque in dolo, quid sentiat de autoritate Papæ in temporalibus. Si non est ductus in istam hæresim, cur condemnavit doctrinam sanam? Si trahitur oblatione aut expectatione majorum dignitatum, quia ut docet S. Chrysostomus, *multi ambiunt dignitatum titulos, & oculos à veritate avertunt*; tandem oculos veritati aperiat. Dicit enim nobis Christus Joan. 8. v. 32. *Si vos manseritis in nomine meo, vere discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos.* Quæritis liberari à tot malis quibus turbamini? quærite veritatem. Afflictis Judæis & dispersis dicebant Prophetæ: *Loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo: veritatem & judicium pacis judicate in portis vestris.* Non placatur iratus Deus interficiendo veritatem, sed placatur interficiendo, id est, purgando mores & malos motus.

De aliis Tribus Propositionibus pauca dicam, quia sunt duorum Conciliorum Generalium, Constantiensis scilicet & Basileensis. Tertia est Concilii Niceni in Can. 6. Hæ Propositiones non sunt novum dogma; *Si dicas novè, non dicas nova*, ut monet Vincentius Lyrinensis. Sacra Parisiensis Facultas prima omnium quæ sunt in toto Orbe Christiano, quam sæpe Summi Pontifices consuluerunt in rebus arduis, volens se opponere pro muro perniciosis erroribus Martini Lutheri, qui Primatum Sedis Apostolicæ in Ecclesia evertere moliebatur, & prava dogmata spargere, de mandato Francisci Primi Christianissimi Galliarum Regis sequentes Propositiones ut doctrinam antiquam Regni & Ecclesiæ proposuit, quæ in Comitiis Meloduni habitis à Prælatis approbatæ fuerunt. Has Propositiones Rex Christianissimus * Edicto suo auctoravit, cautumque est, ut omnes Galliarum incolæ ad hanc fidei regulam profiterentur.

Tenetur quilibet Christianus firmiter credere unam esse in terris Universam

* An. 1542.

versalem Ecclesiam visibilem, quæ in fide & moribus errare non potest, cui omnes fideles in his quæ sunt fidei & morum, obedire adstringuntur.

Quod si quid in Scripturis Sacris controversiæ aut dubii oriatur, AD PRÆFATAM ECCLESIAM DEFINIRE ET DETERMINARE SPECTAT. *Certum est Concilium Generale legitime congregatum, Universalem repræsentans Ecclesiam, in fidei & morum determinationibus errare non posse.*

Nec minus certum est unum esse Jure divino Summum in Ecclesia Christi militante Pontificem, cui omnes Christiani parere tenentur, qui quidem potestatem habet conferendi Indulgentias.

Ex his cognoscitur Propositiones Cleri Gallicani, antiquam fidem esse Regni.

His Propositionibus firmiter adhærebat Cardinalis Lotharingus in Concilio Tridentino an. 1563. dum scribit Romam: *Gallus sum, & educatus in Universitate Parisiensi* IN QUA AUCTORITAS CONCILII GENERALIS SUPRA PAPAM COMPROBATUR, *& ut hæretici condemnantur qui contrarium tenent. In Galliis Concilium Constantiense, ut Generale in omnibus partibus creditur. Basileense Lex est & Regula*; ET OMNES GALLI ELIGERENT MORI POTIUS, QUAM ALIUD SAPERE.

E Non ita sensit Adrianus Sextus, Summus Pontifex in Quartum Sententiarum, ubi hæc ejus verba leguntur: *Si per Ecclesiam Romanam intelligatur caput ejus, certum est quod potest errare etiam in iis quæ tangunt fidem, hæresim per suam determinationem aut Decretalem asserendo.* Hæc docuit privatus Doctor, & hæc docuit cum esset Summus Pontifex, quandoquidem Romæ typis mandari præcepit quæ Lovanii docuerat.

Non ita senserunt Summi Pontifices *, qui in professione fidei quam emittebant, dum consecrarentur, Anathema dicebant *Honorio, qui pravis assertionibus Monothelitarum fomentum impendit.*

Non ita sensit Breviarium Romanum anni 1553. in quo hæc notatu digna leguntur pro tertia Lectione in pervigilio Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, in quo fit memoria Sancti Leonis Secundi. *Hic suscepit Sanctam Synodum, quæ nuper per Dei providentiam in Trullo exequen-*

* Diurnus Romanorum Pontificum p. 41. nuper pro nova Editione typis excusus Parisiis apud viduam Edmundi Martini an. 1680. opera & studio Joannis Garnerii è Societate Jesu.

te ac residente Imperatore, in qua Honorius, Pyrrhus, Sergius condemnati fuerunt.

Quis Regum Hungariæ hoc sentiat, cum legit in una Decretali Bonifacii Octavi, quam misit ad Philippum Pulchrum Galliæ Regem: *Scire te volumus quod in Spiritualibus & Temporalibus nobis subes: aliud credentes hæreticos deputamus.* Bellarminus contra Vindrinctorem: *Pontificem habere potestatem deponendi Principes, est de fide. Est enim definitum ac conclusum à Gregorio Septimo in Concilio Romano.* Sed quis Regum non solum Hungariæ, sed aliorum Regnorum assentiatur isti novo fidei Articulo à Bellarmino fabricato? Imo quis vere Catholicorum, ut ex infallibili oraculo productum & emissum credat, & assentiatur Censuræ novissime latæ in Jusjurandum Catholicorum Angliæ approbatum à Sexaginta Doctoribus Sorbonicis, in qua hæc Propositio cum aliis condemnatur? (horresco referens, & toto corpore contremisco) *Præterea juro quod & corde abhorreo & detestor, & abjuro tanquam impiam & hæreticam hanc doctrinam & damnabilem Propositionem; quod Princeps per Papam excommunicatus vel deprivatus potest per suos subditos vel alios quoscumque deponi vel occidi.*

Obstupescite cœli super hoc, & portæ ejus desolamini vehementer, dicit Dominus, Obstupescent Sacerdotes, & Prophetæ consternabuntur. Jerem. 2. v. 12. & 4. v. 9.

Hoc infallibile Apostolicæ Sedis oraculum, nova est hæresis Jesuitarum, qui in famosis Thesibus Collegii Claromontani anni 1661. die 12. Decembris hanc assertionem propugnabant. *Datur ergo in Ecclesia Romana Controversiarum fidei Judex, etiam extra Concilium Generale, tum in quæstionibus juris, tum facti.* Contra hanc novam hæresim insurrexerunt Pastores Parisienses, & quotquot erant Parisiis viri boni *timentes Deum, & Regem honorificantes.*

Istæ Jesuitarum hæreses, antiqua, de qua superius, & hæc nova procedunt ex juramento & quarto Jesuitarum voto. Rodrigues de tribus obedientiæ gradibus cap. 13. ita habet: *Religiosi professi nostræ Societatis obligant se quarto & solenni voto obedientiæ cœcæ & extraordinariæ omnibus Papæ voluntatibus. Per hoc votum Jesuitæ tenentur ire quocumque voluerit Papa, sive pedites, sive equestres, sive eleemosynam petendo, dùm iter faciunt, sive cum argento.* Non mirum, si tot privilegiis & exemptionibus Societas ista munita sit; si extrà debitum & contrà veritatem, Curiæ Romanæ excessus ubique profiteatur &

do-

doceat. Obedientiæ cœcæ cœci voluntarii tenentur juramento & voto. Heu quot mala ex iſtis hæreſibus in Eccleſiam irruperunt!

O Bone Jeſu! *cuncta noſti, & ſcis quia non pro ſuperbiâ & contumeliâ, & aliquâ gloriæ cupiditate fecerim hoc, ut hanc ſuperbiſſimam Propoſitionem non adorarem. Libenter enim* pro Eccleſiæ pace *etiam veſtigia pedum Apoſtolicæ Sedis deoſculari paratus eſſem: Sed timui ne honorem* matris Eccleſiæ transferrem in filium ejus, & ne verba hominum adorarem pro verbis veritatis, dicente Auguſtino: *Euangelio non crederem, niſi me Catholicæ Eccleſiæ auctoritas commoveret.* dicente Beato Gregorio, [a] *Se ideò Quatuor prima Concilia velut Quatuor Euangelia venerari, quod univerſali conſenſu conſtituta & recepta eſſent.* Et docente Vincentio Lirinenſi, *quod ubique, quod ſemper, & quod ab omnibus creditum, habendum eſſe pro doctrinâ Eccleſiæ.*

Miror Clerum Hungaricum plus ſapere quam ſapere oportet. Cardinalis Bellarminus Apoſtolicæ Sedi addictiſſimus non ità loquitur libro priore de Conciliis & Eccleſiâ c. 2. *Medium ordinarium, ac proindè neceſſarium in controverſiis fidei dijudicandis eſſe Concilium magnum aut parvum, unum vel plura facile probari poteſt. Primùm ex divinâ illâ promiſſione: ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, illic ſum in medio eorum. Hunc etiam locum de Conciliis intelligit Synodus Calcedonenſis in epiſtolâ ad Leonem &c. 2. ex facto Apoſtolorum, qui cùm poſſent etiam ſeorſim ſinguli definire controverſias, tamen ne viderentur negligere medium ordinarium, & à Chriſto ipſo demonſtratum, non ſine Concilio Controverſiam de Legalibus Antiochiæ exortam definire voluerunt cap.* 15. 3. *ex conſuetudine totius Eccleſiæ, atque omnium Sæculorum. Semper enim fuit in Eccleſia iſta conſuetudo, ut ad res dubias explicandas Concilia Epiſcoporum haberentur; & ipſi etiam Romani Pontifices nullam umquam hæreſim novam ſine novo Concilio damnaverunt, ut cognoſcere poterit qui vel tomos Conciliorum, vel hiſtorias Eccleſiaſticas evolvere voluerit. Quod autem ſemper ab omnibus factum eſt, quis negare audebit ordinarium dici poſſe, & revera eſſe?*

Cardinalis Bellarminus noverat quod dixit Tertullianus: [b] *Regula fidei una omninò eſt ſola immobilis & irreformabilis.* Addam Bellarmino alia referri Concilia in Actibus Apoſtolorum, quibus demonſtratur Eccleſiam non Monarchice, ſed Ariſtocraticè debere regi, quia dixerat Apoſtolis Dominus noſter: *Reges Gentium dominatur eorum;* vos

a Diſtin. 15. Can. *Sicut Sancti Euangelii.* b De vel. Virg. c. 1.

vos autem non sic. Attendat Clerus Hungaricus ad hæc verba: *Convenerunt Apostoli, & Seniores videre de verbo hoc, & visum est Spiritui Sancto & nobis.* Act. 1. v. 23. Act. 6. v. 2. Act. 15. v. 6. 28. Act. 21. v. 18.

S. Petrus proposuit difficultatem in Concilio. S. Jacobus pronuntiavit: *Visum est, &c.* Quæ forma procedendi Apostolorum de hinc instar Regulæ fuit in omnibus aliis Conciliis; ita ut cuncta negotia Catholicâ Communione Ecclesiarum, non absoluto unius imperio definirentur, sicut decisa sunt ab Apostolis: *Visum est Spiritui Sancto & nobis.* Non enim dicitur; visum est Spiritui Sancto & Petro: Sed VISUM EST SPIRITUI SANCTO ET NOBIS.

Hæc sufficiant modò, ut sciat Clerus Hungaricus quomodo oporteat illum in domo Dei conversari, quæ est *Ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis*, ut ait Apostolus 1 ad Tim. 3. v. 15. Discat ex his paucis nihil tàm contrarium manifestissimis Sanctæ Scripturæ verbis, Sanctorum Patrum evidentissimis testimoniis, & praxi totius Ecclesiæ per annos mille & amplius, quam dicere ad solam Sedem Apostolicam divino & immutabili privilegio spectare, de controversiis fidei judicare. In quantùm Quatuor Propositiones Cleri Gallicani placent auribus verè Christianis, & omnibus qui veritatem, unitatem & concordiam justi regiminis Ecclesiæ Catholicæ à Christo instituti adamant, sunt acceptabiles, in tantùm ista Propositio est absurda & planè detestabilis. Liceat mihi dicere Primati Strigoniensi, quod Paulus Timotheo. O Primas illustrissime, *Depositum custodi*, hoc est antiquam Ecclesiæ doctrinam, *devitans profanas vocum novitates & oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt.* 1 ad Tim. 6. v. ult. Dicam adhuc cum Apostolo. *Radix omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes, erraverunt à fide.*

Pro Coronide & Conclusione istarum Notarum, annectam Jusjurandum, seu Indiculum, aut Professionem fidei Summorum Pontificum, prout refertur in Libro qui vocatur Diurnus, cujus mentionem faciunt C. Baronius, Binius, Yvo Carnotensis, & alii.

Ex istâ Professione fidei sole clarius apparet Ecclesiam regi debere Canone, non absolutâ unius potestate, quod Schola Parisiensis anno Christi 1429. die Martii 30. declaravit contrà errores Fratris Joannis Sarazin Ordinis Fratrum Prædicatorum his verbis: *Quandocumque in aliquo Concilio aliqua instituuntur, tota autoritas dans vigorem statutis, residet, non in solo Summo Pontifice, sed principaliter in Spiritu Sancto, & Ecclesia Catholicâ.*

Insu-

Insuper nos omnes, Primas Sanctæ Sedis Legatus, Archiepiscopi, Episcopi, Capitula, Abbates, Præpositi totius Apostolici Archiregni, repetere hoc loco voluimus veterem fidei formulam, quam Majores nostri occasione Nationalis Synodi profiteri consueverunt, videlicet.

Credimus in unum Deum &c. (ad longum, ut habetur in professione fidei juxtà bullam Pii Quarti ad calcem Concilii Tridentini) Item una voce publicè unanimi omnium consensu atque approbatione sincere nos profitemur & spondemus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quæ unica est, & ex omnibus Ordinibus & Statibus Regni perpetuò adhæsuros, & sine diminutione nunc quoque perstituros, neque ab ejus institutis totius Orbis consensu approbatis, ubique florentibus & dilatatis quovis prætextu discessuros: quin eamdem Sacrosanctam Ecclesiam ejusque fidem ex tot falsis opinionibus per rerum novarum cupidos disseminatis erutam, & à tempore Sancti Regis Stephani aliorum Divorum quondam Hungariæ Regum constitutionibus stabilitam pro viribus tuituros & defensuros.

Quare nos motu proprio zeloque impulsi, & Regnum hoc, esse Regnum verè Apostolicum commonstraturi, sic deinceps usque ad extremam sanguinis guttam fidelem operam navabimus, ut contra Ecclesiæ hostes rem fortiter geramus, & nihil umquam à recto, nihil à debitâ Romano Pontifici & Sanctæ Sedi Apostolicæ reverentiâ deflectamus, uti in hoc Autographo nostro Originali, & nostrum omnium subscriptionibus Nobis Scripto Primati porrecto constat. Datum per manus Vicarii nostri Episcopi Vasciensis & Causarum Spiritualium per Hungariam Auditoris Generalis Joannis Kery, in liberâ Regiâque civitate Tymnariensi typis Academiæ Archiepiscopalis die 24. Octobris anno 1682.

Ex mandato nostro speciali signatum GEORGIUS SZELEPECHEMY *Ecclesiæ Metropolitanæ Strigoniensis Archiepiscopus Primas Hungariæ.*

Superſedeo hic apponere profeſſionem fidei Summorum Pontificum; cum ſit præfixa primo tomo Hiſtoriæ Conciliorum Generalium Magiſtri Edmundi Richerii Coloniæ anno 1680. Et in novâ Editione libri qui dicitur Diurnus Romanorum Pontificum, de quo ſuprà, Pariſiis edito eodem anno apud Viduam Edmundi Martin operâ & Studio Joannis Garnerii Jeſuitæ.

INNOCENTIUS III. AD PHILIPPUM AUGUSTUM FRANCORUM REGEM.

PRopter Sententiam Euangelicam, quam ipſe Deus expreßit, ut quod Deus conjunxit, homo non ſeparet; cùm abſque dubio nec Sanctorum exempla, nec Patrum Decreta intentioni tuæ in hoc ſuffragentur. Verùm SI SUPER HOC ABSQUE GENERALI DEFINITIONE CONCILII DETERMINARE ALIQUID TENTAREMUS, *præter divinam offenſam & mundanam infamiam, quam ex hoc poſſumus incurrere, forſan ordinis & officii nobis periculum immineret; cùm contra præmiſſam veritatis Sententiam noſtra non poſſit Auctoritas diſpenſare.* L. 3. ep. Regeſt. 15. ep. 104.

EPISTOLA INNOCENTII VIII.

Ad Pariſienſem Theologiæ Facultatem die 7. Septembris anno 1486. quâ improbatum nihil fuerit, quod fuiſſet eò uſque ab illâ defenſum, ſed comprobatum potius hujuſcemodi verborum tenore.

DIlecti filii, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Intelleximus non ſine magnâ cordis noſtri lætitiâ, ſinceram animorum veſtrorum devotionem, quam ad nos, Sanctamque Romanam Eccleſiam, & fidem Catholicam habetis. Cum omne Studium & curam veſtram pro ejuſdem fidei defenſione, & hæreſium extirpatione, ſicut probatiſſimos quoſque Chriſtianos decet, INCESSANTER ADHIBUERITIS.

Refertur hæc epiſtola Summi Pontificis pro confirmatione doctrinæ Scholæ Pariſienſis, quæ eſt omnimodè contraria Cenſuræ Hungaricæ.

Testamentum Gregorii II.

Prout refertur tom. 6. Spicilegii D. Lucæ d'Acherii.

Credimus, dicimus & protestamur, quod si in Consistorio, aut in Conciliis, vel sermonibus, vel Collationibus publicis vel privatis aliqua dixerimus erronea contra Catholicam fidem, seu forsitan adhærendo aliquorum opinionibus contrariis fidei Catholicæ scienter, quod non credimus, vel etiam ignoranter, aut dando favorem aliquibus contra Catholicam Religionem obsequentibus, ILLA EXPRESSE AUT SPECIALITER REVOCAMUS, *detestamur*, ET HABERE VOLUMUS PRO NON DICTIS. Iste Summus Pontifex non credebat Papam esse infallibilem.

Prodierunt nuper, id est, anno 1660. duæ Epistolæ Joannis Caramuelis Lubovischi ad Petrum Gassendum, quibus significatur Germanos Protestantes ad amplectendam fidem Catholicam longe promptiores futuros, illa ipsis opinione detracta: *non licere cuiquam Catholicum esse, nisi qui Papam infallibilem & OEcumenico Concilio superiorem agnoscat.*

Ex his concluditur Censuram Hungaricam continere doctrinam novam, falsam & erroneam. Cui Censuræ populus Hungaricus adhærere non debet juxta regulam Sancti Augustini: * *Nec Catholicis Episcopis consentiendum est, sicubi forte falluntur, ut contra Canonicas Dei Scripturas aliquid sentiant.*

Proinde dicimus cum Vincentio Lyrinensi in Commonitorio: *Si quis novum dogma annuntiaverit, excommunicetur.*

Certe novum & inauditum in Ecclesia dogma: *Ad solam Sedem Apostolicam divino & immutabili privilegio spectat de controversiis fidei judicare.*

Concilium Tridentinum Sessione quarta. In Decreto de editione & usu Sacrorum librorum.

Præterea ad coërcenda petulantia ingenia decernit Sancta Synodus, ut nemo suæ prudentiæ innixus, IN REBUS FIDEI ET MORUM AD ÆDIFICATIONEM DOCTRINÆ CHRISTIANÆ PERTINENTIUM, *Sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum quem tenuit & tenet Sancta mater Ecclesia*, CUJUS EST JUDICARE DE VERO SENSU ET INTERPRETATIONE SCRIPTURARUM SANCTARUM, *aut etiam contra una-*

* Lib. de unitate Ecclesiæ c. 2.

unanimem Consensum Patrum, ipsam Scripturam interpretari audeat; etiamsi hujusmodi interpretationes nullo umquam tempore in lucem edendæ forent. Qui contravenerint, per Ordinarios declarentur, & pœnis à Jure Statutis puniantur.

[a] Sanctus Augustinus liquido probat in Donatistarum manu fuisse, appellare à Sententia Melchiadis Papæ ad Generale Concilium: & propterea majorem esse Concilii quam Papæ auctoritatem, juxta praxim disciplinæ Patrum Ecclesiæ primitivæ, quam expressam legimus Canone Quinto Synodi Nicænæ, & Epistola Synodi Carthaginensis ad Cœlestinum. Hæc sunt verba Sancti Augustini Epistola citata. RESTABAT *adhuc plenarium Ecclesiæ Universæ Concilium, ubi etiam cum ipsis Judicibus causa posset agitari: ut si male judicasse convicti essent, eorum sententiæ solverentur.*

Melchiades Papa cum octodecim Episcopis, quos recenset Optatus, Cœcilianum accusatum à Donato, innocentem esse judicaverat his verbis: *Cœcilianum suæ Communioni Ecclesiasticæ integro statu retinendum censeo.*

Quis Christianorum non ingemiscat super his Novitatibus, cum filii Ecclesiæ, si veri ejus filii sunt, *filii sint veritatis & pacis*, secundum Augustinum. Dolendum nobis est quod qui cœlestem & Christianam vitam profitemur, simultates atque jurgia exercemus, magisque ad vincendum & nos ulciscendum, quam ad charitatem, pacem, unitatem Ecclesiæ, & officii nostri rationem attendimus.

Quid plura? Audiamus Christum dicentem nobis: [b] *Vos vocatis me, Magister & Domine: & bene dicitis, sum etenim.* Ecce quod dicit *Dominus & Magister*, Respiciens Jesus in Discipulos suos [c] DIXIT SIMONI PETRO; *Si peccaverit in te frater tuus*, DIC ECCLESIÆ, QUOD SI ECCLESIAM NON AUDIERIT, SIT TIBI SICUT ETHNICUS ET PUBLICANUS[d].

[a] Ep. 162. [b] Joan. 13. v. 13. 14. [c] Matth. 18. v. 17. [d] S. Aug. Serm. 108. de Diversis, & Missale antiquum Romanum in Euangelio Feriæ Tertiæ post Dominicam Tertiam Quadragesimæ.

PRI-

PRIMARIÆ UNIVERSITATES CATHOLICÆ SIC SEMPER SENSERUNT, UT PATET EX SEQUENTIBUS EXCERPTIS.

Ex responso Universitatis Coloniensis, Theodorico Archiepiscopo Coloniensi ad annum 1442.

HÆc si breviter declarantur, quia de jure divino obedire tenentur Deo Christo, suæque sponsæ Ecclesiæ, in qua prima præsidentia est Sedes Apostolica super omnes alias Ecclesias particulares & Sedes inferiores, non super totam Universalem prælata; omnis ergò anima est Potestatibus sublimioribus subdita.

Ex responso Universitatis Herfordiensis Episcopo Moguntino ad ann. 1440.

Superioritas & majoritas Sacri Concilii supra Pontifices sic probatur. Quamvis Papa, vel Summus Pontifex est à Deo principalis Ecclesiæ vel in Ecclesia pars, quòd nullum Ecclesiæ membrum aut pars Conciliorum sit eo principalius & majus, aut æquè principale & magnum, quia in hoc omnes Sanctorum auctoritates de Potestate Papæ loquentes intendunt: tamen totam Ecclesiam, aut Generale Concilium subsistens, & firmum, majus & superius esse Papa, in his quæ pertinent ad fidem, Schismatum exstirpationem, & generalem morum Reformationem, nullus Catholicus intelligere volens, potest dubitare. Hoc enim Universalis Ecclesiæ auctoritas in Sacro Constantiensi Concilio declaravit, & Sacra Senensis & Basileensis Synodus innovavit in hæc verba. Quia ipsa Synodus in Spiritu Sancto legitime congregata Generale Concilium faciens, & Ecclesiam militantem repræsentans, Potestatem immediate à Christo habet, cui quilibet cujuscumque Status aut dignitatis existat, etiam si Papalis, obedire tenetur in his quæ pertinent ad fidem, exstirpationem Schismatis, & ad generalem Reformationem Ecclesiæ Dei in Capite & in membris.

Ex responso Universitatis Viennensis ad Electores Imperii. ann. 1440.

Quantum ad secundum scilicet, an Sacrum Basileense Concilium ad instituendum & assequendum processum contra olim Eugenium quoad ejus suspensionem & depositionem, & alterius institutionem plenariam habuerit potestatem. Respondeo quòd Spiritus Sanctus per organum Sacri Concilii Constantiensis declaravit apertè talem potestatem habere Ecclesiam, & Concilium eam repræsentans super omnem hominem; etiamsi Papalis existat dignitatis. Nam Synodus Constantiensis in Tertia sua Sessione super hoc diffinivit, statuit, decrevit & declaravit in hunc modum, quod Sancta Synodus in Spiritu Sancto legitime congregata Generale Concilium faciens, Ecclesiam Catholicam militantem repræsentans, potestatem immediate à Christo habet, cui quilibet cujuscumque Status vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur in his quæ pertinent ad fidem, ad exstirpationem hæresis, Schismatis, & ad Generalem Reformationem Ecclesiæ in capite & in membris. Ex quo manifeste habetur Papam subesse Concilio in Casibus expressis in decreto allegato.

Ex responso Universitatis Cracoviensis. ann. 1440.

De Ecclesia verò Universali repræsentativa, scilicet de Concilio Generali, quod est Ecclesia Universalis repræsentativa ratione Universalis Jurisdictionis, Auctoritatis & Ecclesiasticæ Potestatis infra breviter aliquid dicendum. Est autem Concilium Generale Congregatio legitime facta, &c. Generale enim Concilium Universalem Ecclesiam repræsentans, de qua dictum est, est regula à Spiritu Sancto directa, & à Christo tradita, ut quilibet cujuscumque status, etiamsi Papalis existat, eamdem audire, & illi obedire teneatur. Alioquin habendus est sicuti Ethnicus & publicanus, & sic colligitur ex verbis veritatis. *Matth.* 18.

Summa eorum quæ acta sunt Parisiis, in Disputationibus Capituli Generalis Dominicanorum, die 26. Maii 1611.

Anno Domini millesimo sexcentesimo undecimo, die vigesima septima Maii, Magister Emundus Richer, Doctor & Syndicus Sacratissimæ Facultatis Parisiensis, una cum honorandis Magistris Vincentio Marchant, Antonio de Heu, Nicolao de Lescleves, & Nicolao de Paris, Doctoribus ejusdem Facultatis, circa horam tertiam sese contulit in pergulas Scholæ Theologicæ Conventus Fratrum Dominicanorum Parisiensium, quas frequentissimo numero clarorum ac doctorum virorum occupatas reperit. Inter alios permulti erant Doctores Theologi prædictæ Facultatis, nec non etiam plures ex familia Dominicanorum, Galli, Itali, Hispani, qui eodem convenerant ad spectandas & audiendas Disputationes Capituli Generalis. In his Disputationibus Frater Wibertus Rosenbach Lector Conventus Coloniensis prædictorum Dominicanorum partes respondendi agebat, Præside Magistro ac Fratre Cosma Morelles Regente & publico Professore ejusdem Conventus Coloniensis. Theses autem sic inscriptæ erant: Serenissimo ac Reverendissimo D. Domino Ernesto Dei gratia electo & confirmato Archiepiscopo Coloniensi, Sacri Romani Imperii per Italiam Archicancellario, & Principi Electori, Episcopo Leodiensi, Administratori Monasteriensi, Hildesheimensi, & Frisingensi, Principi Stabulensi, Primariæ Ecclesiæ Archiepiscopalis Magdeburgensis præposito, Comiti Palatino Rheni, utriusque Bavariæ, Westphaliæ, Angariæ, & Bullionis Duci, Marchioni Francimontensi, &c. Porrò idem Magister Emundus Richer Syndicus, omnibus qui in prædictis pergulis erant, videntibus atque audientibus, honorandum Fratrem ac Magistrum Nicolaum Coëffeteau Doctorem prædictæ Facultatis, & Priorem Conventus Parisiensis, nonnullosque alios Dominicanos etiam Doctores ejusdem Facultatis sic allocutus est: Rem esse indignissimam ac minime ferendam, quòd Thesibus quæ eo die agitabantur, passi fuissent hos tres Articulos inseri: 1. *Romanum Pontificem in fide & moribus errare non posse.* 2. *In nullo casu Concilium esse supra Papam.* 3. *Ad Papam pertinere dubia decidenda Concilio proponere, decisa confirmare vel infirmare, partibus silentium perpetuum imponere*, &c. Enimverò, si hujus-

hujusmodi Articuli veri sint, oportere omnes Gallos, qui Decreta Synodi Constantiensis tanquam de fide semper propugnassent, esse hæreticos, vel saltem Schismaticos: Gallorum patientiam istis Thesibus tentari; quas, si Henricus Magnus viveret, numquam ausi fuissent edere in lucem: Multos persuasum habere, id ab illis fieri, non tam veritatis, quam privati commodi studio: præsertim, quod alia ratione suas extraordinarias missiones atque privilegia tueri ac propagare nequeant: memoratas Theses dicatas esse D. Archiepiscopo Coloniensi; ac propterea non modo omnium Gallorum, sed etiam exterarum Nationum manibus teri. Quare si prædicti Articuli intacti maneant sine ulla publica intercessione, statim Gallos atque Exteros sibi persuasuros, Sorbonam isto silentio tacite à Majorum suorum placitis desciscere; publicum errorem publica satisfactione eluendum: se decrevisse in præsentiarum mittere Magistrum Ludovicum De la Court magnum Apparitorem, ut nomine Facultatis hac formula intercederet. De mandato D. Syndici Sacratissimæ Facultatis Theologiæ Parisiensis, & Dominorum dictæ Facultatis subsignatorum, conferat se Magister Ludovicus De la Court Major Apparitor ipsius Facultatis, in Aulam Conventus Fratrum Dominicanorum Parisiensium, in qua habentur solennes Disputationes pro Capitulo Generali dictorum Fratrum, ibique qua poterit modestia & sine scandalo significet Magistro Fratri Cosmæ Morelles Præsidi, atque Fratri Wiberto Rosenbach respondenti, omnibusque Baccalaureis dictæ Facultatis disputantibus, aut disputaturis, sese nomine dictæ Facultatis intercedere ac opponere quibusdam Conclusionibus contentis in septimo, octavo, & nono Articulis Assertionum Controversialium, prout scribuntur in Thesi prædicti Fratris Wiberti Rosenbach, tanquam novis in Gallia, contrariis ac repugnantibus Sacris Conciliis Generalibus, nativis Ecclesiæ Catholicæ libertatibus, Politiæ Regni Gallicani, nec non antiquissimis Decretis prædictæ Facultatis Parisiensis. Ad vitandum autem scandalum, cunctis Baccalaureis ejusdem Facultatis prohibeat, ne in ejusmodi Conclusiones disputent, sed tantum in alias partes quarum magna est copia. Actum die veneris vigesima septima mensis Maii, anno millesimo sexcentesimo undecimo. Quam intercedendi formulam, ubi prædictus Magister ac Frater Nicolaus Coeffeteau audivit ac perlegit, per suos Sacros Ordines affirmavit prædictas Theses, se inscio atque inconsulto factas: stante Capitulo Generali, se nihil prorsus habere aucto-

auctoritatis in Conventu: eodem die quo illarum Thesium Notitiam habuit, se D. D. Triumviros Regios adiisse, sibique ab eis nominatim injunctum, caveret diligenter, ne quis in prædictos Articulos disputaret, eamque ob causam omnes Baccalaureos sigillatim monuisse, ut illas Conclusiones tacitas sinerent: hoc insuper D. Reverendissimo Patri Generali plurimùm dolere; adeò ut Præsidi ac Respondenti strictissimè præceperit, ne de istiusmodi partibus responderent; sed si eas fortè à quibusdam agitari contingeret, palàm & publicè declararent, sibi minimè licitum esse de illis agere. Quibus auditis & perpensis, Magister Emundus Richer Syndicus, mutato intercedendi proposito, respondit controversiam istam hac moderatione sedari posse; nempè si quispiam Baccalaureorum in aliquem prædictorum Articulorum disputaret, atque Magister Cosmas Morelles, qui Disputationibus præerat, è vestigio protestaretur sibi à suo Reverendissimo Generali vetitum esse de illa parte in Franciâ respondere, hoc si ille præstaret, Sacratissimæ Facultati abundè satisfactum iri. Quare idem Magister Emundus Richer imperavit Majori Apparitori prædictæ Facultatis, ut significaret Baccalaureis, licitum esse in prædictos Articulos velitari: eamque ob causam Magister Claudius Bertin Baccalaureus Sorbonicus primi Ordinis ità disputare cœpit: Quicquid adversatur OEcumenico & legitimo Concilio, est hæreticum: Hæc tua Conclusio, *In nullo casu Concilium est supra Papam*, adversatur Concilio Constantiensi OEcumenico & legitimo. Ergo est hæretica. Quam ad vocem Illustrissimus, Sanctæ Sedis Apostolicæ Nuncius Episcopus Politianus commotior visus est: Magister autem Cosmas Morelles, qui præerat Disputationibus (in hac enim totâ Concertatione nullum verbum à prædicto Fratre Wiberto Rosenbach emissum est) sic respondit: Domine Baccalauree arguens, noli dicere hanc Assertionem esse hæreticam, satis enim est, si dicas esse falsam atque erroneam: Ego vero profiteor me istas Conclusiones non posuisse animo offendendæ Academiæ aut Facultatis Parisiensis, quam velut omnium aliarum Academiarum matrem agnosco, sed tantùm veritatis disquirendæ causâ: Etenim si veritas hujusce quæstionis in hac celeberrimâ Academia disquiri non possit, ubinam gentium enucleabitur? neque hanc partem tanquam de fide, sed velut problematicam cum Francisco à Victoriâ, Melchiore Cano & . . . . proposui: siquidem constat multas alias Universitates eamdem Conclusionem tueri contra Sententiam Academiæ Parisiensis: Quare si

mihi detur venia respondendi, eam ut problematicam defendam. Tùm Illustrissimus Sanctæ Sedis Apostolicæ Nuncius jussit de illa parte disputari, quod Dno. ejus auditori qui præsens erat, gratissimum videbatur. Cæterum quidam Doctores Theologi, ac permulti viri illustres, qui de prædictis pergulis eventum Disputationis attentè expectabant, perstrepere atque conqueri cæperunt, nequaquàm ferendum, ut ejusmodi Conclusiones agitarentur in Galliis; cùm Ecclesia Gallicana à temporibus Constantiensis Synodi contrariam Sententiam velut de fide semper propugnarit. Magnus quoque clamor excitatus est ab omnibus auditoribus qui erant in Aulâ Theologicâ circiter ad duo millia. Inter alios D. Sanguin Consiliarius Parlamenti, & Præfectus Mercatorum urbis Parisiensis, Thesim publicè lacerandam: Dominus autem de Hacqueville Præses Parlamenti illam Propositionem esse hæreticam contendebat. Tùm Illustrissimus D. Cardinalis Perronius Archiepiscopus Senonensis, & magnus Regis Christianissimi Eleemosinarius, imperavit magno Apparitori Facultatis Theologiæ, ut Magistrum Emundum Richer Syndicum ex pergulis in Aulam accerseret, quæ frequentissimo numero clarissimorum ac doctissimorum Virorum, tàm Ecclesiasticorum, quàm Laicorum fervebat: quos inter Illustrissimus D. Cardinalis Perronius. D. Illustrissimus Sanctæ Sedis Apostolicæ Nuncius, D. Rector Academiæ, D. Episcopus Montispessulani, D. Hacqueville Præses in Supremo Senatu, D. Sanguin Consiliarius Parlamenti, ac Præfectus Mercatorum Urbis Parisiensis. Item: D. Ribier etiam Consiliarius in Supremo Senatu eminentiores Cathedras occupabant; cunctisque audientibus ac videntibus, Illustrissimus D. Cardinalis Perronius multoties iteravit, Quæstionem de Concilii & Papæ eminentiâ problematicam esse propter exceptiones quas Transmontani adversùs Constantiense Concilium obtendebant. Deindè petiit à Magistro Emundo Richer Syndico, qui se in Aulam ex pergulis contulerat, primùm, Ecquid causæ habuisset præcipiendi Baccalaureis, ut in memoratos Articulos disputarent, quos D. D. Triumviri Regii silentio obrui præceperant? Secundò, Censeretne de illa parte disputandum? Ad hæc præfatus Magister Emundus Richer respondit, se ideò copiam disputandi fecisse Baccalaureis in prædictos Articulos, ut si quâ ratione fieri posset, aliquod publicum testimonium eliceretur à Magistro Cosma Morelles Præside Disputationum, quo fieret satis Academiæ & Facultati Parisiensi, quæ publicâ assertione

præ-

prædictorum Articulorum nominatim peti atque offendi videbatur, Sorbonam semper habuisse Concilium Constantiense pro legitimo atque OEcumenico, eamque ob rem ab eo tempore tanquam de fide tenuisse Concilium esse suprà Papam: Theses quibus prædicti Articuli contra Decreta Synodi Constantiensis, & Doctrinam Facultatis Parisiensis scribuntur, in omnium Gentium oculis versari, ac propterea opus esse, ut aliquo actu publico contrario confutentur. Jussionem D. D. Triumvirorum Regiorum, de hac parte silentio involvenda omnibus ignoratam atque occultam esse, quippe quæ uni tantum Magistro, ac Fratri Nicolao Coeffeteau, qui eam privatim acceperat, innotuerit, & verbo tantum non scripto concepta sit: se optime scire D. D. Triumviros Regios numquam moleste laturos, si Schola Parisiensis aliqua publica intercessione, aut obnunciatione suam antiquam doctrinam vindicare niteretur. Demum se limatissimo & castigatissimo judicio Illustrissimi D. Cardinalis relinquere, quanti momenti hæc sit Controversia, & utrum eam hoc tempore tractari, an silentio prætermitti expediat. Quibus auditis Magister Cosmas Morelles, iterato ea, quæ in exordio Argumenti Magistri Claudii Bertin præmiserat, protestatus est: videlicet, non se istas Conclusiones posuisse animo offendendæ Academiæ aut Facultatis Parisiensis; quam velut Matrem omnium aliarum Academiarum agnoscebat: sed tantummodo veritatis disquirendæ causa: hancque partem non tanquam de fide, sed velut problematicam asserere, &c. Si vero sibi concedatur, de illa responsurum. Quamobrem annuente Illustrissimo D. Nuncio Apostolico, idem Magister Claudius Bertin sic Argumentum suum persequutus est: hæc pars damnata fuit in Concilio Constantiensi, quod Martinus V. approbavit. Ergo falsa est atque erronea. Cui Argumento ut Præses satisfaceret, multas attulit solutiones ex Cajetano potissimum desumptas; alium enim auctorem hac in parte non laudavit. Primo, quod Decretum quartæ & quintæ Sessionis Constantiensis Synodi tantummodo intelligeretur de Papa dubio, puta quando est aliquod Schisma & plures sunt Antipapæ. Secundo, quod eadem Decreta non fuerint facta conciliariter, hoc est, allatis atque pensatis utrinque rationum momentis. Tertio, quod sola obedientia Joannis XXIII. consensum præbuerit hujusmodi Decretis, ipso Joanne absente; adeo ut Concilium Acephalum videretur. Quarto addidit de suo, Martinum V. quasi ex abrupto, & non mature, attendendo peculiariter ad prædicta

Decreta, Synodum Constantiensem conclusisse: Scilicet postquam Legati Regis Poloniæ, & magni Ducis Lithuaniæ supplicassent, ut Liber Fratris Joannis Faltzemberg, quem Nationes & Collegium Cardinalium privatim damnaverant, etiam publice & conciliariter damnaretur. Quibus in solutionibus deducendis prædictus Frater Cosmas Morelles tam multa involvebat atque implicabat, ut vix ex ejus responsione liqueret cuinam solutioni plus tribueret. Quocirca Illustrissimus Dominus Cardinalis Perronius jussit finem imponi disputationi. At Magister Emundus Richer Syndicus illum obnixe rogavit, ut pateretur Magistrum Claudium Bertin suam persequi argumentationem, quam ita continuavit Argumento ad hominem, ut vocant. Quicquid Summus Pontifex respondet aut confirmat de Cathedra, per te est indubitatæ fidei: sed Martinus V. sedens pro tribunali in Constantiensi Concilio (cui etiam antequam crearetur Pontifex, velut Cardinalis interfuerat) omnia & singula Acta confirmavit, quæ facta fuerant conciliariter: Igitur Decreta quartæ & quintæ Sessionis cum facta fuerint conciliariter, indubitatæ sunt fidei: ac proinde falsum atque erroneum est asserere, in nullo casu Papam subesse Concilio. Præses respondit, Martinum V. dissoluto Concilio, Bulla quadam peculiari damnasse errores Joannis Wiclef & Joannis Hus, idque Argumento esse, quod Decreta quartæ & quintæ Sessionis minime roborasset. Contra idem Magister Claudius Bertin insurrexit, numquam ante, neque postea auditum, ut qui Concilio interfuisset, cum deliberaretur, atque eidem quoque præfuisset ut Papa, dum concluderetur, deinceps Bulla particulari, quædam Acta Concilii pro animi sui sententia comprobaret, alia vero respueret: Et quamvis in Synodo Tridentina Romani Pontifices minime præsentes fuissent, nequaquam tamen Bulla peculiari singulos Canones Concilii approbasse: Cumque idem Magister Claudius Bertin instaret, ac ulterius Argumentum suum promovere cuperet, Illustrissimus Dominus Cardinalis Perronius edixit, ne de hac re amplius, sed de Sacramento Eucharistiæ ageretur, sicque huic disputationi finis impositus.

PRÆTEREA cum iidem Dominicani die Sabbati vigesima octava Maii indixissent Disputationes in diem Dominicam sequentem, ac

Theses

Theſes jam pro foribus Scholæ eſſent affixæ, & Articulus 65. prædictarum Theſeum ita conciperetur: *Veritates fidei definire, ſolius Pontificis eſt, qui in hoc errare non poteſt.* De mandato Domini de Verdun primi Præſidis Parlamenti, illis eſt injunctum, ut die Dominico ceſſarent, ac prædictum Articulum ex Theſibus abraderent, ſi de his reſponderi vellent: ex quo accidit, ut ante diem Martis ultimam Maii non fuerit diſputatum: quo die D. de Sillery Franciæ Cancellario permittente, memoratæ Theſes eâ lege agitatæ fuerunt, ut Dominicani non paterentur quemquam diſputare in prædictum Articulum, de Romani Pontificis infallibilitate.

Sic ſubſcriptum

L. HOYAU, *Rector Academiæ.*
E. RICHER, *Syndicus.*
V. MARCHANT.
H. DE HEU.
LESCLEVES.
DE PARIS.
BERTHIN.
DE LA COUR.

ARREST

De la Cour de Parlement contre le nommé Jacob Bachelier, & Blanzi Docteur, pour avoir proposé des Theses sur la puissance du Pape, contraires à la Doctrine de la Sorbonne & de l'Eglise Gallicane.

Extrait des Registres de Parlement.

VEu par la Cour les Grande Chambre & Tournelle assemblées, les Positions imprimées, dressées par Frere Florent Jacob, Prêtre Religieux de l'Ordre de S. Augustin, Bachelier en Theologie, pour icelles soustenir & defendre publiquement, le dixiéme jour de May dernier, en la dispute de grande Ordinaire, en Sorbonne, sous Maître Thomas Blanzy Docteur en Theologie, Principal du College de Calvy, dont le cinquiéme Article contenoit ce qui ensuit. *Huic porro Sedi Successor, in qua sedet etiam nunc Clemens hujus nominis Octavus, omnium Pontificum Maximus & Supremus: Qui cum in terris vices Dei gerat, ab eodem esse spiritualia & temporalia non est ambigendum: spiritualem enim & temporalem in omnibus habet Potestatem, eique Universi Cardinales, Episcopi, & omnes omnis generis homines parere & obedire, & veluti membra capiti adhærere perpetuo tenentur.* Et le Neufviéme: *Domus Ecclesiastica cum duplicis gladii habeat Potestatem, Temporalis usum ad bonorum defensionem, & malorum exterminium Regibus & Magistratibus concedit.* Les Interrogatoires faits par l'un des Conseillers en la ditte Cour à ce commis auxdits Jacob, & Blanzy prisonniers és prisons de la Conciergerie du Palais. Conclusions du Procureur General du Roy: Oüys & interrogez en la ditte Cour lesdits Jacob, & Blanzy sur les dittes Propositions: Oüy aussi le Syndic de la Faculté de Theologie pour ce mandé en icelle. Et tout consideré: Dit a esté, que la ditte Cour a declaré & declare lesdits cinq & neufviéme Articles des dittes Propositions, faux, Schismatiques, contraires à la parole de Dieu, Saints Decrets, Constitutions Canoniques, & Loix du Royaume; tendants à rebellion & perturbation du repos public: Condamne le dit Jacob, pour les avoir composées, fait imprimer, & presentées pour les soustenir en son Acte de grande Ordinaire, estre conduit des

prisons

prisons de la Conciergerie, en la grande Salle de Sorbonne, en laquelle les Doyen, & Syndic, Docteurs, Licentiez, & Bacheliers seront assemblez au son de la cloche, & illec estant teste nuë & à genoux, assistant le dit Blanzy, teste nuë & debout, dire & declarer, Que temerairement & indiscretement il a composé & publié les dittes Positions, pour estre disputées, & par luy soutenuës en son Acte de grande Ordinaire, dont il se repent, & en demande pardon à Dieu, au Roy, & à la Justice. Ce fait, seront les dittes Positions rompuës & lacerées. Fait la ditte Cour inhibitions & defenses à tous Bacheliers d'en composer & presenter de semblables, ne autres contre la puissance du Roy, & obeïssance à luy deuë par tous ses sujets, establissement de l'Estat Royal, & droits de l'Eglise Gallicane: Et au Doyen, Syndic, & Docteurs de la Faculté, de les recevoir, ne permettre qu'elles soient imprimées ou disputées, sur peine d'estre declarez criminels de leze Majesté, & indignes de jouïr des privileges octroyez à la Faculté de Theologie, par les Roys predecesseurs du Roy regnant, & confirmez par luy. Ordonne que ce present Arrest sera écrit és Registres d'icelle Faculté, & lû par chacun an à la premiere Assemblée de la Sorbonne par le Bedeau de la ditte Faculté: & enjoint au Syndic de certifier la ditte Cour de la Lecture dans trois jours aprés qu'elle aura esté faite, sur peine de desobeïssance aux Arrests: Et sera le present Arrest executé par l'un des Presidents, & quatre Conseillers en la ditte Cour, en la presence du Procureur General du Roy. Prononcé & executé en la Salle de Sorbonne le Mecredy dixneuviéme Juillet mil cinq cents quatre vingt quinze. Collationné. Signé Voisin.

Ex Epiſtola 9. CENTURIÆ SECUNDÆ

EPISTOLARUM MORISETI

AD CURETUM.

JAm vita Richerii noſtri terminata eſt, immò numquam moritur Sapiens; ſed vivit Cœlo; vivit cum virtutibus ſuis in animis ſuperſtitum, quibus manus porrigit, & pro quibus intercedit coram Deo, ad quem aſcendit. Omnibus verè Chriſtianis Gallici Sceptri amantibus grande deſiderium ſui reliquit per memoriam doctrinæ & probitatis. Vir proceræ ſtaturæ, rectum vividumque corpus, & par menti in eo habitanti ſervavit. Nulla venus, nullæ illecebræ corruperant, nulla ſeveritas liberalem rugaverat frontem. In ſtatione ſui poſitus, & Sorboniſtico, hoc eſt, tenui victu ſuſtentatus, ad extremam ſenectutem, nempè ad annum 72. ætatis ſuæ pervenit. Humanis ſuavitatibus intactus; vultu, habituque moris antiqui, qui dignus etiam ab inimicis ſuis exiſtimatus, ad quem divinarum, humanarumque rerum diſceptatio & judicium deferretur. Memorabilem eum fecerunt renovata toties diſcrimina, notumque periculis nomen. Libellulum an. ſal. 1611. ſcripſerat, *de Eccleſiaſticâ & Politicâ Poteſtate*, ſuadente Henrico Borbonio primo Principe, maximis omnium Doctorum Scriptis æquiparandum, quem verè dicere poſſum: Libertatis Gallicæ, totiuſque Eccleſiæ Gallicanæ, Regumque & Principum, quotquot ubique regnant, firmiſſimum utiliſſimumque volumen & munimen. &c. Divione. Cal. Maias 1633.

Domine Deus pacem da nobis, omnia enim præſtitiſti nobis: pacem quietis, pacem Sabbati, pacem ſine veſperâ. Omnis quippe iſte ordo pulcherrimus rerum valde bonarum, modis ſuis peractis tranſiturus eſt. S. Aug. L. 13. Conf. cap. 35.

FINIS.